BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO

UNIVERSAL SHORT-TITLE CATALOGUE

UNIVERSITÀ DEGLI STUDI DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia

FONDAZIONE CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

ALVAREZ MANUEL, *Grammaticarum institutionum libri primi pars altera; de generibus nominum, declinationibus, verborum praeteritis, atque supinis. Editio postrema a variis erroribus emendata; cum adjuncta, in fine, libri III. kalendarii Romani. Cum privilegio*, Trento, Giovanni Parone, [tra il 1681 e il 1728].

Esemplare digitalizzato:
Trento, Biblioteca comunale, TT I k 25

LINK: https://bdt.bibcom.trento.it/275

BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA
progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*

COMUNE DI TRENTO

BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO
UNIVERSAL SHORT-TITLE CATALOGUE
UNIVERSITÀ DEGLI STUDI DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia
FONDAZIONE CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro ("Bando Archivi 2014"), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell'Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l'University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All'interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l'Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell'edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation ("Bando Archivi 2014"), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

# EMMANUELIS
# ALVARI

E Societate JESU,

## GRAMMATICARUM INSTITUTIONUM

*Libri Primi Pars altera*;

De Generibus Nominum, Declinationibus, Verborum Præteritis, atque Supinis.

Editio Poſtrema

A VARIIS ERRORIBUS EMENDATA;

*Cum adjuncta, in fine Libri III. Kalendarii Romani.*

CUM PRIVILEGIO.

TRIDENTI,

Ex Typographia Epiſcopali Joannis Paronj.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

# DE GENERIBUS
## NOMINUM.

*Quæ ex ſignificatione cognoſcuntur.*

QUÆ maribus ſolùm tribuuntur, maſcula ſunto. ut Vir,
Maſcula cenſentur ſpecie depicta virili, Cato,
Et quibus appoſitum tantùm tribuiſſe virile, Leo,
Credibile eſt veteres, latro ceu, præſul, & hoſpes. ut Mars,

*Nominum genus partim ex ſignificatione, partim ex poſitione, partim ex aſſidua, & diligenti Auctorum lectione cognoſcitur: Sunt enim quædam, quorum genere variè, pro ſuo arbitratu, utuntur ſcriptores, quæ veteres Incerti generis appellant.* Boreas.

*Primo verſiculo continentur quam plurima nomina, de quibus nonnulli Grammatici diſpersè, ac multis locis egerunt, cuiuſmodi ſunt.* Scriba, laniſta, ſcurra, rabula, lixa, cacula, nauta, bibliopola, prædo, comedo, conſul, tubicen, tibicen, vas vadis, verres, aries, ædilis, præs, Arabs, Thrax, Phryx, Rex, Cilix. *Omnia deniq; tum propria, tum appellativa, quæ marem ſive rationis participem, ſive expertem ſignificant.*

*Secundo, Angelorum, dæmonum, Deorum, ventorum nomina, quæ generis ſunt maſculini; non quòd mares ſint, ſed quòd ſpecie quadam, & ſimilitudine mares imitentur, ut* Raphael, Aſmodæus, Pluto, Japix.

*Tertio verſiculo complexi ſumus ea, quæ plerique exiſtimant eſſe communia duorum generum: verum cum adiectivum duntaxat maſculinum admittant, potiùs maſculina cenſenda ſunt: qualia ſunt,* homo, fur, latro, pugil, vigil, *id eſt nocturnus cuſtos,* præſul, cocles, eques, exul, *& cætera id genus.*

*Hoc eodem verſiculo iis ſatisfacies, qui fortè obiicient:*

Lepus, mus, turtur, *& alia ejuſdem generis promiſcua, marem, & fœminam ſignificare.*

ut mulier, Myſis, equa. ut Iris Syrinx', Alecto. ut operæ, cuſtodiæ ut animal, mancipium.

Fœmineum dices, quod fœmina ſola repoſcit.
Jungito fœmineis muliebri prædita forma.
Quæque adjectivum tantùm muliebre requirunt.
Quæ neutro appoſito gaudent, neutralia ſunto.

Deæ, Nymphæ, Furiæ, Muſæ, Sirenes, &c. *tum à Poetis, tum à Pictoribus muliebri forma depinguntur, ob quam cauſam generis ſunt fœminini, ut* Dido, Pallas, Xanto, Alecto, Celæno, Clio, Pyrene, &c.

Operæ, cuſtodiæ, vigiliæ, excubiæ, *etiam cum homines ipſos ſignificant, adjectivum fœmineum poſtulant, quare generis ſunt fœminini. Cic. ad Att. lib.* 3. Operæ Clodianæ pontes occuparunt.

Beſtia, bellua, pecus pecudis, avis, *& quæ ſunt generis ejuſdem, fœminina ſunt, quamvis mares etiam ſignificent: beſtia enim non minus lupum, equum, leonem, quam lupam, equam, leænam ſignificat. Idem de Epicœnis dictum ſit, ut* Vulpes, aquila, noctua.

Eſt commune duum, ſexum quod claudit utrumq;
Articulo gemino, veluti bos, fortis, & hoſtis,
Antiſtes, juvenis, vates, patruelis, & infans,
Affinis, miles, cum cive, cliente, ſacerdos,
Et comes, atque canis, ſus, dux, auctòrque parènſq;
Municipi conjux, adoleſcens, augur, adhærent.

*Nomen commune duorum generum eſt, quod marem, & fœminam ita ſignificat, ut adjectivo maſculino adjungatur, cum marem ſignificat; ut* civis Romanus, affinis meus, *cum viros:* civis Romana, affinis mea, *cum fœminas ſignificamus.*

Antiſtita, tæ, *fœminino genere Cicero, & Virgilius ſemel uſi ſunt.*

Judex, *genere muliebri uſus eſt Lucanus de Cleopatra loquens.*

Et ſumus, ut fatear, tam ſæva judice ſontes.

*Appendix I.*

Lib. 10. Vigil, *cum nocturnum cuſtodem ſignificat, ſubſtantivum planè eſt, & virile; jungitur enim cum adjectivis maſcu-*

*maſculinis tantùm: cum verò vigilantem ſignificat, more adjectivorum in Is ſyllabam exeuntium, cum ſubſtantivis tam maſculini, quam fœminini generis jungitur;* hinc animus vigil: cuſtos vigil, cuſtodia vigil: flamma, auris, febris, *apud Poetas.* Pervigil, *ex eo compoſitum, etiam jungitur utrique generi; unde* ignis cuſtodia pervigil, *apud eoſdem Poetas. Itaque inſtar adjectivorum communia ſunt duorum generum.*

### *Appendix II.*

*A, littera terminata, quæ à verbis oriuntur, ut* auriga, homicida, parricida, transfuga, advena, conviva, agricola, *& id genus alia, docent Grammatici eſſe generis communis; quæ quidem nondum, quod meminerim, cum fœminino adjectivo juncta inveni, præter unum apud Pomponium auctorem vetuſtiſſimum, qui à Priſciano citatur;* Conveni *inquit,* omnes convivas meas.

Nemo, *genere fœminino reperitur apud Plautum.* Lib. 5.

### *Appendix III.*

Adjectiva, *quæ in Is ſyllabam exeunt, ſi ſubſtantiva maſculini, & fœminini generis admittant, ut* fortis, gravis: *item comparativa in Or, inter communia duorum generum numerantur.*

Eſt commune trium, generi quod convenit omni. ut prudens, atrox.

*Huc tantum ſpectant nomina adjectiva, quæ una poſitione contenta ſunt,* ut felix, velox, amans, docens, nequam, frugi, nihili, præſto: *quorum quatuor poſtrema non declinantur in caſus, ſicuti* numeralia à quatuor uſq; ad centum; *hæc enim omni generi conveniunt; unde a veteribus Grammaticis hoc genus* Omne, *dicitur, & proximum, de quo egimus,* Commune.

*Huc pertinent compoſita ex nomine color, ut* Bicolor, diſcolor: *Et nomina patria in As, ut* Arpinas, Capenas, Privernas.

*Adjectiva, quæ diverſas habent formas, ad diverſas præceptiones ſpectant, ut* Bonus, a, um, Brevis, & breve.

## *APPENDIX.*

*Sunt quædam omnis generis, quæ nominandi, accuſandi, atque vocandi caſibus neutris numeri pluralis carent: qualia ſunt,* Dives, pauper, locuples, uber, memor, ſuperſtes; ſoſpes, ales teres, (*nam* teretia *quo Gellius eſt uſus, parum uſitatum eſt*) *Item* Degener, deſes, præceps, bipes, cicur. *Ex quatuor primis fiunt comparativa*, divitior, pauperior: *è nonnullis etiam ſuperlativa*, pauperrimus, locupletiſſimus, uberrimus.

Dis, *etiam adjectivum eſt: unde* ditia regna, *&* *comparativum* ditior, *&* *ſuperlativum* ditiſſimus.

## *APPENDIX.*

Judex, comes, ruricola, alienigena, indigena, teſtis, auctor, *ſi quandoque cum neutris ſubſtantivis juncta reperiantur, non ideo adiectiva omnis generis cenſenda ſunt, cum plane ſint ſubſtantiva, figurateque neutris adiunguntur.* Infans, & Princeps *ſunt interdum adjectiva omnis generis.*

ut Octo- Pro maribus pugnant menſes, fluviique minaces.
ber, Ta- *Veteres* Iſtrum, Rhenum, Metaurum, Rhodanum,
gus. Iberum, *nominandi caſu, pro* Iſter, Rhenus, Metaurus, Rhodanus, Iberus, *dicebant, dummodo ſequeretur nomen Flumen.*

ut Cy- Inſula fœminea, Urbs, Regio, cum Nave, Poeſis.
prus, Car- *Quædam, ut duos habent exitus, ita modò feminini, modò*
thago. *neutrius generis reperiuntur, cujuſmodi ſunt,* Saguntus,
Ægyptus, Saguntum. Ilios, Ilion, ſive Ilium. Lesbos, Lesbon,
Pyxtris, Abydos, Abydon.
Æneis. Zeugma, Reate, Sutul, Argos, Tibur, Nepete, Præneſte, Cere, *neutra ſunt; de quibus ſuo loco. Nomina Fabularum ſi quando reperiuntur generis maſculini, tunc non fabulæ, ſed perſonæ habetur ratio.*

Fœmineis eſt arbor. foliis oleaſter amarus.
ut Pinus, Mas eſt. Hoc acer, atque ſiler, cum ſubure robur.
Cypreſ- Dumus *non huc ſpectat: humilior eſt enim, quam ut*
us. *inter arbores numerandus ſit.*

Um, neutris junges, hominum ſi propria demas.

*Nomina um, ſyllaba finita, neutra ſunt, præter propria virorum, ut* Dinacium, Pægnium; *& ſœminarum, ut* Glycerium, Phanium

A, plurale, genus neutrum ſibi poſcit ubique. — ut Bactra
Nomen in I, maribus, ſi ſit plurale, reſerva. — Suſa. ut
Trade notas neutri: & vocem pro nomine ſumptã; — Puteoli,
Et verbum quodvis nuda pro voce repoſitum. — Liberi

*Elementorum nomina ſere neutra ſunt: interdum etiam ſœminina.* — Philippi.

*Verba, & cæteræ orationis partes poſitæ loco nominis, neutrius generis ſunt.*

*Cum, excluſo omni ſenſu, dictiones pro ſemetipſis ponuntur, ſunt generis neutrius, ut* Lux eſt monoſyllabum.

## *DE GENERIBUS NOMINUM, quæ ex poſitione, ſive terminatione cognoſcuntur.*

### *Poſitio A.*

FOEmineũ A, primæ eſt, veluti panthera, ſagitta.
Adria mas eſto, cui junge cometa, planeta.
Hic Mammona petit, Paſcha hoc, cui jungito mãna.
Nomen in A, ternæ, neutrũ eſt, ceu ſtigma, toreuma.

Adria, *virile eſt, cum mare Venetum, ut nunc loquimur, ſignificat: cum vero Urbem, muliebre.*

Manna, *dum micas thuris concuſſu eliſas ſignificat, muliebre eſt.*

### *E.*

E, latiale, petit neutrum, velut acre, monile.
Fœmineum eſt aloe, Rhodopeq; & cætera Græca.

*E littera finita, ſi ſint Latina, neutra ſunt, & tertiæ declinationis; ſi Græca, primæ ſunt declinationis, & generis ſœminini.*

Cete, tempe, & mele, *quod rarius eſt, neutra ſunt, & pluralis numeri.*

Mille, *ſubſtantivum neutrum eſt, quod pluraliter declinatur.* Millia, Millium, &c.

Mille, *adjectivum eſt omnis generis: neque declinatur.*

*I. O.*

ut ſinapi I, Neutris tribue. O, maribus finita dabuntur.
ut pugio. Eſt, Io, fœmineum, fuerit ſi corporis expers,
ut lectio Cui caro jungatur, cœnatio, portio, quodque
oratio: Definit in Do, Go. Neutris adſcribito pondo.
ut dulcedo, imago. Harpago, cudo, ordo mas, udo, cardo, ligòque.

Sinapi, gummi *neutra ſunt*: at ſinapis, gummis *fœminina.*

Io, *litterris finita, quæ rem incorpoream ſignificant; item verbalia, fœminina ſunt, ut* Quæſtio, reprehenſio. *Quæ verò rem corpoream ſignificant, maſculina ſunt, ut* pugio, unio, *hoc eſt, margarita.*

Pondo, *non declinatur, & ſignificat libram: aliquando pondus.*

Cardo, *apud Priſcos etiam fœmininum fuit.*

*V, C, D,*

V, C, D, da neutris, velut Id, cum lacte, gelùque.

*L, T.*

ut Tribunal, caput. L, T, ſit neutrum. Hic mugil, ſal, ſòlq; repoſcunt.

*N.*

An. In. On. An, In, On, mas. Hæc ſindon, & ſuavis aedon.
ut pæan, delphin, agon. Queis adde Alcyonem. Neutris da cuncta ſecundæ.

Python, *cum draconem ſignificat, generis eſt maſculini; cum verò urbem, fœminini eſt generis, quanquam tum quoque* Pytho *dicitur.*

ut Illion, Pelion. *Quæ in On ſyllabam exeunt ſecundæ declinationis, neutra ſunt,* Barbiton: Barbitos *verò fœmininum. Horat. lib. 1 car. Ode 32. maſculino uſus eſt.*

En, dabitur neutris. Sed hymen, ren maſcula ſunto.
ut carmē, lumen. Et ſplen, atq; lien, atagen, cum pectine, lichen.

Attagen *non poterat carmen ingredi, niſi altero, t, emiſſo, & prima correpta.*

*Poſitio Ar,*

Poſtulat Ar, neutrũ, ceu par, cum nectare bacchar.
Par, *Subſtantivum neutrum eſt ; Adiectivum, omnis generis.*

*ER,*

Er, maribus dona : laver hoc cum tubere poſcit : — ut imber,
Uber, iter, ſpinther, laſer, cicer, atque papaver, — ager.
Ver, ſiler, atque piper, cum verbere, necte cadaver.

Laver, *interdum fœmininum eſt.*

Tuber, *neutrum eſt cum terræ callum, aut tumorem; cum verò arborem ſignificat, fœmininum.*

Tuber, *pomum, fungi genus, maſculinum eſt.*

Uber; *hic ſubſtantivum eſt; nam adiectivum omnis generis eſt.*

Verber, *caſu nominandi inuſitatum eſt, ſexto caſu* verbere *uſitatiſſimum, & etiam genitivo: numeco multitudinis integrum eſt.*

*IR,*

Ir, ſyllaba finita, ſignificatione genus ſuum indicant : *Ut* vir, levir, trevir, ſemivir.

*OR,*

Or, maribus ſervit. Muliebris demitur arbor. — ut dolor,
Accedunt neutris cor, ador, cùmq; æquore, marmor. — honor.

*UR,*

Exigit UR, neutrũ. Hic furfur, cum vulture, turtur: — ut fulgur
Satur, ſatura, ſaturum*; cùm ternas habeat formas,* — ſulphur.
*totidem habebit genera.*

*AS,*

Fœmineum As. Neutrum vas vaſis, fâſq; nefâſq; — ut tempeſtas, lampas.
Maſcula ſunt elephas, adamas, as, atque tiaras.
Cum reliquis cunctis flectit quæ prima Pelaſgum. — ut pharias, mamonas.
Tiaras, *& reliqua primæ, maſculina ſunt.*

Tiara, ræ, *fœmininum eſt.*

## *E S.*

ut cõpes Eſto nomen in Es, muliebre. Sed eſto virile.
moles. Limes, pes, fomes, termes, cum palmite trames,
ut Arho- Et gurges, merges, poples, cum ceſpite vepres.
matites, Et paries, ſtipeſque, meri nomènque diei;
Bootes, His Græcum primæ, vel ternæ jungito nomen.
myrtites Hippomanes neutris, panices cacoethes adhærent,
abſinthi- *His tribus addi poteſt Solœcophanes.*
tes: lebes,
magnes,

## *I S.*

tapes. Is, dato fœmineis. Maribus da piſcis, aqualis,
Anguis, tum fuſtis, tum callis, follis, & enſis,
ut navis, Menſis, cum vecti, torris, glis, poſtis, & orbis.
clavis. Et ſanguis, cenchris, collis, cum vomere, caſſis,
Mugilis, atque lapis, vermis cum falce, canalis,
Unguis, tum cucumis, tum caulis, pulvis, & axis,
Nis quoque finitum, ceu panis, & aſſe creata.
ut vigeſ- Anguis, *interdũ reperitur fœmininum, quamvis rarò.*
ſis, cen- Cenchris, *ſerpens, maſculini generis eſt:* cenchris,
tuſſis. cenchridis, *avis, fœmininum.*
Othrys *mons, apud Græcos fœmininum eſt: à Poetis latinis maſculino genere uſurpatur.*

## *O S.*

ut ros, Maſcula in Os ſunto. Dos, cos, muliebris, & arbos.
flos. Da chaos, atque melos neutris, os, Argos, epòſque.

## *U S.*

Nomen in Us, mas eſt, ſeu quartæ, ſive ſecundæ.
ut ſenſus, Porticus, atque tribus muliebris, acúſque manúſq;
rogus. Alvus, humus, vannus, colus, idus, carbaſus addes.
Et domus, & ficus pomum; mas morbus habetur.
Acus *piſcis nomen, virile eſt: cum verò tertiæ declinationis eſt, purgamentum tritici ſignificat, ac neutrum eſt.*
Colus, *apud Catullum, & Propertium, etiam genere virili invenitur.*

Ficus. *morbus ſemper eſt generis maſculini*: pomum, *ſemper fœminini, ſive ſecundæ, ſive quartæ declinationis ſit.*

## *APPENDIX.*

Plurima in Os, Græca, Auſonii fecere Latina,
Quæ maribus partim, ut prologus, paradiſus, adhærent.
Partim fœmineis, veluti diphtongus, eremus.

Diphtongus, periodus, Arctos, eremus, papyrus, *& alia hujus generis, ut apud Græcos, ita apud noſtros fœminina ſunt* Prologus *verò*, dialogus, ſtylus, ſcyphus, Iſtmos, ſmaragdus, *& alia quam plurima, maſculina ſunt.* cryſtallus, nardus, diametros, *fœminina ſunt.*

Abyſſus, ſynodus, diphthongus, eremus, *apud Latinos ſemper ſunt ſubſtantiva & fœminini generis: apud Græcos etiam ſunt adjectiva, & communis generis more Attico: unde eis articulus cum maſculinus, tum fœmininus præponitur, ſed cum ſubſtantivorum naturam induunt, etiam apud eos generis ſunt fœminini.*

In neutris numera virus, pelaguſque profundum. ut pecus,
Poſtulat Us, neutrum quoties id tertia flectit. pecoris.
Hic lepus, & mus, pus Græcum, compoſitáq; junges. ut tripus,
Sit tibi fœmineum lagopus herba volucris. chytropus.
Eſt muliebre palus, ſubſcus, pulcherrima virtus,
Atque ſalus, pecudiſq; pecus, quibus additur incus,
Quæque ſibi ſervus, juveniſq; ſenéxq; jugarunt.
Æs, tibi ſit neutrum. Laus, fraus, muliebria ſunto.

*Duplici conſonante finita.*

S, dato fœmineis, ſi conſona ponitur ante.
Eſto virile, rudens, fons, pons, ſeps læthifer anguis,
Mons, dens, atq; chalybs, aſſis, quibus addito partes.
Et polyſyllaba ps. Forceps dematur adunca.

*Compoſita ex nomine* dens, *etiam ſunt maſculina*, ut tridens, *item* bidens, *cùm ruſticum inſtrumentum ſignificat.*

*Poſitio X.*

ut Sandyx, celox.

X, dato fœmineis. Sed Erix, grex maſcula ſunto.
Et ſpadix, bombyx vermis, cum fornice, phœnix.
Atque calix, coccyx, & oryx, varixque calixq;
Præterea voluox, quincunx, ſeptùnxq; deùnxque.

*Ax, Ex.*

ut thorax, pollex.

Ax, Ex, finitum polyſyllabon, eſto virile.
Fœmineum thomex, alex, cum ſmilace, fornax,
Et forfex, vibex, carex, adjunge ſupellex.

*Appendix I.*

Victrix, ultrix, *numero multitudinis non ſolùm* victrices, ultrices, *genere muliebri, ſed neutro etiam* victricia, & ultricia pariunt.

*II.*

Maſtix, maſtigis, *media producta, generis fœminini eſt: Compoſito utuntur Latini maſculino genere.* Homeromaſtix, Ciceromaſtix, *hoc eſt*, Homeri, Ciceronis flagellum, & obtrectator.

Bombyx, *cum materiam ſignificat, unde veſtes bombycinæ fiunt, fœmininum eſt. Quòd ſi aliquando pro bombycina veſte reperiatur maſculinum, non tam materiæ, quam vermiculi habita eſt ratio.*

Phœnix, *hic avem ſignificat; nam cum eſt gentile, ſignificatione metiendum eſt.*

Sandyx, *quod ſe e omnes Grammatici, & Lexica maſculinum eſſe docent, fœmininum eſt tam apud Græcos, quam apud noſtros.*

Mobile ſit fixum, ſi fixum mente ſubaudis,
Unde genus capit, ut ſonipes, oriènſque tonànſque.
Mobile ſit neutrum, ni fixum mente ſubaudis,

*Sæpe poſitis adjectivis ſubſtàtiva omittuntur, propterea quòd facile intelliguntur: ſic* Natalis, molaris, textilis, quinctilis, oriẽs, occidẽs, torrens, profluens, confluẽs,

cornipes, continens, bipennis, conſonans, vocalis, præſens, *& his ſimilia, ejuſdem ſunt generis, cuius eſt ſubſtantivum, quod ſubauditur. Hinc* Natalis *maſculini eſt generis, quia ſubauditur dies:* Molaris, *quia lapis:* Oriens, occidens, *quia* Sol: Continens *fœmininum, quia terra ſubauditur;* bidens, *ovis*, bipennis, *ſecuris;* biremis, triremis, *navis*, conſonans, vocalis, *littera;* Præſens, *neutrum, quia ſubauditur, Tempus.*

*Quod ſi adjectivum per ſe ponatur in oratione, neque aliquod ſubſtantivum nomen certum ſubaudiatur, erit neutrius generis,* ut Continens, *apud Rhetores pro* firmamento; decens, accidens, conſequens, conveniens.

Reſpicimus fines, non ſignificata, frequenter:
Zeugma, Reate, ideo petit hoc, cum Tibure, Cære.
Hoc Præneſte, Hiſpal: Sulmo hic uberrimus undis.
Martius hic Narbo braccatæ gloria gentis;
Hæc damnata diu Romanis Alia faſtis.

*Hæc nomina quamvis propria ſint oppidorum, tamen ſunt neutra; quia habetur potius ratio poſitionis, quam ſignificationis: ſiquidem nomina tertiæ declinationis A, E, litteris finita neutra ſunt; quibus adde* Nepte, & Suthul. Albula, *eadem ratione fœmineum eſt, apud Ovidium,* Et tanto eſt Albula pota Deo: *quod etiam maſculinum reperitur apud Martialem.* Faſtor. 4

Reſpicit interdum nomen generale Poeta:
Unde ſibi meritò genus inferiora capeſſunt:
Sic volucrem ſequitur Bubo, ſic flumen Jader.

*Nomen commune, ſive generale hic vocamus, quod multa eiuſdem ſub ſe generis comprehendit,* ut avis, urbs, aqua, flumen, mons. *Poetæ aliquando genus nominis generalis, & ſuperioris, tribuunt inferiori. Virg.* Solâq; culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri. Æn. 4. Ubi bubo, *fœmininum eſt, quia nomen generale, nimirum* avis, *ſive volucris, eſt fœminini; cum apud Plinium, & Poetas omnes, quos quidem viderim, maſculinum ſit.* Jader, *neutrum eſt, quia* flumen, *nomen commune, neutrius generis.* Oeta, Oſſa, Othrys, *maſculina ſunt; quia* mons *generale nomen, virile eſt.*

Pli-

Lib.37. cap.10. *Plinius quàm plurima nomina gemmarum, in As, & Es, ſyllabas, primæ Græcorum genere feminino uſurpat, habita ratione nominis communis gemmæ.*

---

*DE NOMINIBUS*
*incerti generis.*

Hæc modò fœmineis, maribus modò juncta videbis.
Groſſus, adeps, atomus, limax, cum torque, phaſelus.
Scrobs, ſerpens, finis, cum corbe, dieſque rubuſq;
Poſtulat hic, aut hoc meritò Nar, vulgus, & Anxur.

*Nomina Incerti generis vocant veteres Grammatici, quæ modò hoc modo illo genere apud probatos Scriptores reperiuntur.*

Diſcrimẽ Incertorum, & communium.

*Hæc a communibus duorum generum vehementer differunt; ſiquidem Communia maſculini & feminini generis ſunt non temerè, & fortuitò, ſed maſculini cùm marem, feminini verò, cum feminam ſignificant. Neque enim Bos, cùm vaccam ſignificat, maſculinum adiectivum admittit; aut femininum cùm bovem marem ſignificat. Illa verò, ſine ullo diſcrimine, modò maſculina, modò feminina ſunt, aut neutra, pro Auctorum arbitratu; modo itidem adiectivum maſculinum, modo fœmininum, aut neutrum, ſi ita gravibus Auctoribus viſum ſit, recipiunt.*

Dies, *etiam cùm tempus ſignificat, apud Poetas modò maſculini, modò feminini generis reperitur.*

*Nomina maſculina apud Oratores, quibus Poetæ interdum etiam genere muliebri utuntur,*

Maſculi bubo, ſpecus, cortex, cum pumice, pulvis.
Et calx pars pedis, atq; ſilex, cum margo, palumbes:
Proferet hæc cautè juvenis muliebria vates.

Nomi-

### *Nomina ferè fœminina apud Oratores, & interdum maſculina, præcipuè apud Poëtas.*

Eſt muliebre animans volucris, cum ſtirpe, cupido.
Sardonychem comitatur onyx, grus, clunis, & ales.
Cum talpa, linter, cum dama, lynxque, penúſque.
Hæc maribus tribues, cinget cum tempora laurus.

Ales *cum* avem *ſignificat, apud Ciceronem, Plinium cætero que ſere fœmininum eſt*: Ales, *id eſt* velox, *adjectivum eſt omnis generis.*

Penus, *quartæ: necdum enim ſecundæ legi.*

Penus, penoris, *neutrum eſt. Dicitur, hoc* penum,
Hunc jubarem, hunc frontē, hunc pinum, nimiùmq; vetuſta.
Paccuvii proavis, ataviſque utenda relinque.

### *De genere Epicœno.*

Articulo ſexum quæ complectuntur utrumque
Uno; Epicœna, vocant Graii: Promiſcua noſtri.

*Hi duo verſiculi tantùm docent, quid ſit nomen Epicœnum, aut Promiſcuum; non verò cujus generis ſit. Id enim præceptiones jam traditæ docent.* Aquila *namq; exempli cauſa, fœmininum eſt, quia littera,* A, *terminatur;* miluus *verò maſculinum, quia* us, *ſyllaba finitur: atque de cæteris eodem modo.*

I.

*Epicœna à communibus plurimùm differunt; hæc enim Communia maſculini ſimul, & fœminini generis ſunt; illa maſculini tantùm, aut fœminini.* Diſcrimē Epicœnorum, & communium.

II.

*Hæc maſculinum adiectivum admittunt, cum marem ſignificant, ut* civis Romanus, *fœmininum, cum fœminam, ut* civis Romana. *Illa uno adiectivo contenta*

ſunt;

ſunt; Vulpes *enim appellamus* callidas, lepores timidos, *ſive mares, ſive fœminas ſignificamus.*

I I I.

*Hæc duobus articulis egent*, hic & hæc civis: *Illa uno contenta ſunt*, hic lepus, & hæc vulpes.

*Itaque quamvis Epicœna marem & fęminam ſignificent, non ideo tamen appellantur.* Κοινὰ *hoc eſt, communia, ſed* Ἐπίκοινα *epicœna, hoc eſt ſub communia: quia licèt marem & fœminam ſignificent, uno tamen genere, articuloque id faciunt, ob eamq; cauſam non ſunt planè communia.*

I.

diſcrimẽ Epicœnorum, & Dubiorum.

*Eſt etiam diſcrimen inter Epicœna, & ea, quæ dubii generis appellantur. Hæc enim Dubia, tum maſculinum tum fęmininum adjectivum recipiunt, manente eadem prorſus ſignificatione*, ut dies hodiernus, & hodierna, torques aureus, & aurea: *Illa Epicęna, unum tantum.*

I I.

*His duo articuli disjuncti præponuntur*, hic, vel hæc torques: *Illis unus tantùm*, hic lepus, hæc vulpes.

*Sunt tamen nonnulla promiſcua etiam generis incerti inter maſculinum, & fęmininum, cuiuſmodi ſunt:* dama, talpa, lynx, grus, *& pauca alia. Hæc enim cum modò ſint generis fęminini, modò maſculini, manente eadem ſignificatione, incerti ſunt generis. Sunt etiam Promiſcua, quia uno genere, atque articulo, utrumque ſexum complectuntur.*

*Si nomina Epicœna uno articulo contenta, maſculini tantùm, aut fœminini ſunt generis, quo igitur pacto, dicet aliquis, mares a fœminis, aut contra, fęminæ a maribus diſcernentur? Addito vocabulo maris, vel fęminæ, hoc modo.* Elephas mas, elephas fęmina. Tigris mas, tigris fęmina. Lepus mas, lepus fœmina. *Ad eundem modum*, Mus, piſcis, rana, polypus, cancer, corvus, teſtudo, balæna, anguis, *& cætera animalia huius generis. Dices itaq; ſi ita res tulerit*, te leporem fęminam ſagittis confixiſſe.

DE-

## *DE NOMINUM.*
### *Declinatione.*

NOmina compoſita ferè inſtar ſimplicium declinantur. In compoſitis, rectus tantùm caſus declinatur. Ut Tribunus plebis, Tribuni plebis, Tribuno plebis, Tribunum plebis, &c. *Huc ſpectant.* Senatûs conſultum, Juriſperitus, Paterfamilias, *atque alia ejuſdem generis.*

Si nomen ex duobus rectis copuletur, uterq; declinabitur. *Reſpublica*, *Jusjurandum*; *Reipublicę*, *Rempublicam*; *Jusjurandi*, &c.

*Excipitur* Alteruter, *cujus poſterior tantùm pars declinatur, excepto genitivo ſingulari, qui utroque modo declinatur*, Alter utrius, & Alterius utrius.

Nomina neutra tres caſus habent ſimiles, Nominandi, Accuſandi, & Vocandi; qui numero multitudinis, A. littera terminantur, præter *Ambo*, & *Duo*.

Vocativus ſingularis Quartæ, & Quintæ declinationis, ſimilis eſt Nominativo; *Senſus, ò ſenſus*; *Dies, ò dies.*

Nominativus, & Vocativus multitudinis ſimiles ſunt; *Muſę, ò Muſę*; *Virtutes, ò Virtutes.*

Dativus, & Ablativus numeri pluralis ſimiles ſunt; *Muſis, à Muſis*; *Virtutibus, à Virtutibus.*

*Appendix.*

Unimanus, Centimanus, & *cętera ex manus compoſita, veluti* & Capricornus, *ſunt ſecundę declinationis* Ex Portu *fit* angiportum. *Plinius etiam ait, hic* angiportus, *ſecundę eſſe formę, apud Ciceronem tamen quartę eſt.*

## PRIMA DECLINATIO.

PRimæ declinationis nomina in A, as, es, exeunt.

Quæ A, littera terminantur, tum Græca, tum Latina ſunt, ut *Maja*, *Ægina*, *victoria*, *familia.*

Quæ in As, Es, & E, ſyllabas exeunt, Græca

cantùm ſunt, ut *Æneas*, *Anchiſes*: & declinantur hoc modo.

*Nominativo* Æneas, *Genitivo* Æneæ, *Dativo* Æneæ, *Accuſativo* Ænean, *Vocativo* ò Ænea.

*Nominativo* Anchiſes; *Genitivo* Anchiſæ, *Dativo* Anchiſæ, *Accuſativo* Anchiſen, *Vocativo* ò Anchiſe.

*Appendix I.*

*Priſcis temporibus, genitivus ſingularis Latinis in As, ſyllabam terminabatur, unde etiam nunc dicitur,* Paterfamilias, materfamilias, filiusfamilias.

II.

Aulai, pictai, *& his ſimiles interrogandi caſus, interdum apud Poetas leguntur pro* aulæ, pictæ: *Virgilius l.* 9. Dives, equûm, dives pictai, veſtis, & auri.

III.

A Maja, Ægina, *& aliis hujuſmodi Græcis nominibus fœmininis, accuſativus per An ſyllabam aliquando apud Poetas exit, ut* Majan, Æginan.

*Veteres Græcas poſitiones formidantes, malebant Latina forma dicere* Soſia, Byrria, Clinia, Geta, Sarmata, poeta, *quam* Soſias, Byrrias, Clinias, Getes, Sarmates, poetes: *Hoc idem docet Quinctil. lib* 7. *ca.* 4. *Ne in A, quidem, atque, S. litteras exire temerè maſculina Græca nomina recto caſu patiebantur, Ideoque & apud Cœlium legimus,* Pelia cincinnatus; *& apud Meſſallam;* Benefecit Euthia; *& apud Ciceronem* Hermagora. *Ne miremur, quod ab antiquorum pleriſq;* Ænea, & Anchiſa, *ſit dictum.*

*Muſa Es, ſyllaba finita, etiam tertiæ declinationis ſiunt, maximè apud Oratores,* ut Euripides, dis, Oreſtes, Pilades, Herodes, Timarchides, *& alia id genus, unde erit accuſativus in Em.*

*Vocativus ſimilis eſt nominativo* ò Muſa, ò Maja. *Græca, S. litteram deponunt;* ò Ænea, ò Anchiſe.

*Dativus multitudinis, Is, ſyllaba finitur: præter* duabus, ambabus, deabus, *& nonnulla alia eiuſdem* exi-

*exitus, quæ etiam à viris doctis, ſexus diſcernendi gratia, uſurpantur.*

*In his Vocativis* Achille, Ulyſſe, Orphe, Tyde, *quibus Latini Poetæ utuntur, Dores imitantur, qui Græca ευς ſyllaba finita per ης, dicunt pro* ὀρφεὺς, ὀρφῆς, τὸν ὀρφὴν, ὦ ὀρφή: τυδεὺς, τύδης; ὦ τύδη, *hoc eſt* Orpheus, Orphes, *accuſativo* Orphem, o Orphe; *Sic pro* Tydeus, Tydes, ò Tyde. *Eodem modo pro* Achilleus, Achilles, ò Achille; *pro* Ulyſſeus, Ulyſſes, Ulyſſe.

O Chreme, ò Lache, *etiam hujus ſunt ordinis. Hæc enim Græci, & per tertiam, & per primam declinant,* χρέμης, χρέμητος, χρέμης, χρέμου, Chremes, Chremetis, & Chremes, Chremæ.

O Chremes, ò Laches, *Vocativi ſunt tertiæ declinationis.*

*Ne mireris, ſi quando apud Latinos legeris,* ò Socrate. *Nam Attici propria nomina primæ declinationis contractorum, ut* σωκράτης, Socrates, *accuſandi, ac vocandi, inſtar nominum primæ declinant,* τὸν σωκράτην, Socratem, ὦ σωκράτη, ò Socrate.

## NOMINA, E, LITTERA FINITA
*ſecundæ declinationis Græcorum, ſic declinantur.*

*Nominativo* Muſice, *Genitivo* Muſices, *Dativo* Muſice, *Accuſativo* Muſicen, *Vocativo* ò Muſice, *Ablativo* à Muſice: *Numero plurali Latinam declinationem ſequuntur.*

*Ad hunc modum declinantur* Maſtiche, Grammàtice, Rhetorice, Dialectice, Aritmetice, Libye, *quorum ultima vocalis, ſi in A, litteram mutetur, latinè declinantur,* ut Grammatica, Grammaticæ, &c.

Adam, Abraham, *& alia ejuſdem poſitionis peregrina, duos tantum caſus Interrogandi, & Dandi primæ Declinationis admittunt,* Adæ, Abrahæ, *cæteri peregrinitatem retinent. Qui verò hac latinitate donare volunt,* Adamus, Abrahamus, *declinant.*

## *SECVNDA DECLINATIO.*

L*Atina nomina ſecundæ Declinationis in ſyllabas Er, ur, us, um, exeunt, ut* Faber, Vir, Satur, Populus, præmium.

*Græca in Os, On, Eus,* Delos, Androgeos, Pelion, Tydeus.

*Genitivus ferè eſt æqualis nominativo ſyllabarum numero,* ut Populus, populi: *præter* Iber, iberi; Celtiber, celtiberi; Trevir, treviri; Satur, ſaturi; *& nonnulla alia.*

*Poetæ aliquando alterum I, omittunt.*

*Virg.* Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.

Eclog. 1. Androgeos, *non ſolùm* Androgei, *ſed etiam* Androgeo, *more Attico, facit genitivo.*

*Accuſativus à Græcis in Os, s, litteram mutat in n, ut* Delos, Delon, Menelaos, Menelaon; Athos, Athon, vel Atho, *more Attico.*

*Vocativus ſimilis eſt Nominativo,* ò Vir, ò Deus.

### *Exceptio I.*

*Cætera nomina, us, ſyllaba finita, mutant us, in e,* ut Populus, ò popule, fluvius, ò fluvie; tabellarius, ò tabellarie. *Præter* Filius, *& nomina propria in ius, quæ us, ſyllabam deponunt:* ò fili, ò Antoni, ò Pompei. *Cicer. ad Octavium.* Quantùm te, Popule Romane, de me feſellit opinio.

### I I.

*Græca, quæ in eus, & ous, hoc eſt, us, diphthongum exeunt, deponunt s, nominativi, ut* Tydeus, ò Tydeus, Panthus, ò Panthu.

### *Appendix I.*

*Græca, eus, ſyllaba finita, etiam genitivo faciunt eos, & accuſativo Ea, maximè apud poetas: Sed tunc ad tertiam declinationem ſpectant,* Tydeus, Tydeos, Tydea; Tereus, Tereos, Terea.

*Voca-*

## I I.

*Vocativus Græcorum nominum, quæ os, in us, mutant, etiam in E, litteram exit, ut* Timotheus, Pamphilus, ò Timothee, Pamphile; Antæus, Thymbræus, Ptolomæus, ò Antæe, Thymbræe, Ptolomæe.

## I I I.

*Latini interdum vel Euphoniæ cauſa, vel Atticos imitantes, Vocativum faciunt ſimilem Nominativo,* ò populus, ò fluvius, ò meus.

*Livins.* Audi tu populus Albanus. 1. ab Urb.

*Virgil.* Proïice tela manu ſanguis meus. Æn. 6.

*Idem.* Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum, Adſis ò tandem. ibid.

*Nominativus multitudinis i, littera terminatur, ut* Captivi, dei, *vel* dii.

*Priſcis temporibus, ei, diphthongo terminabatur, ut* Captivei.

*Dativus pluralis, is, ſyllaba finitur; ut* Captivis, deis, *vel* diis.

Di *etiam, &* Dis *frequenter utuntur Poetæ:*

*Eus, diphthongo terminata ſunt quamplurima, ut* Orpheus, Theſeus, Perſeus, Pentheus, Typhoeus, &c. *Quæ apud Græcos quintæ ſunt declinationis, quæ tertiæ noſtræ reſpondet. Apud noſtros tamen (excepto interrogandi, & accuſandi caſu, quibus etiam interdum more Græcorum utuntur; item vocandi, qui ferè Græco ritu exit) hæc fermè ſecundi ſunt ordinis.*

Perſeus, *etiam declinatur* Perſes, Perſis, Perſi, Perſen, *vel* Perſem, ò Perſes, à Perſe, *ut* Achilles, Ulyſſes, *quorum genitivus* Achillei, Ulyſſei, *à nominativo* Achilleus, Ulyſſeus *fit*.

*E, in obliquis horum nominum corripitur, niſi more Jonico declinentur. Tunc enim non ε, ſed η, habent. Adjectiva verò, quæ fiunt à nominibus in eus,*

*habent penultimam longam*, ut Achilleus,a,um, Pentheus,a,um, &c.

Achilli, & Uliſſi, *genitivi ſunt Poetis uſitati.*

Iber, *etiam tertiæ declinationis eſt, diciturque à regione* Iberiæ, *quæ juxta Pontum eſt inter Colchos, & Armeniam.*

Liber, *cum Bacchum ſignificat, aut nomen eſt adjectivum, creſcit genitivo; Item* gibber, *tum ſubſtantivum, tum adjectivum.*

O Tyrinthie, Olmie, Evie; Sperchie, *quæ apud Statium leguntur, quamvis ſint propria, non tamen faciunt contra præceptum; fiunt namque à Græcis poſitionibus.* Tyrinthios, Olmios, Evios, Sperchios. *Neque enim Græci Latinorum leges ſervant.*

---

## *TERTIA DECLINATIO.*

Eſt tertiæ declinationis quàm plurimæ ſint poſitiones, genitivus tamen in Is, ſyllabam exit, qui nominativo modò eſt æqualis numero ſyllabarum, ut navis; *modo una ſyllaba longior*, ut Turbo, turbinis; Unedo, unedonis; *modo duabus*, ut Iter, itineris; Biceps, bicipitis, Supellex, ſupellectilis.

*O.*

Macedo, macedonis, Anio, anienis, Nerio, nerienis.

*N.*

Babylon, babylonis; Palæmon, palæmonis; Xenophon, xenophontis.

*R.*

Lar, laris; Hepar, heparis; Acer, aceris; Mulciber, mulciberis; Jecur, jecoris; *vel* jecinoris.

*As.*

Calchas, calchantis; *Hic* Pallas, pallantis, *hæc* Pallas, Palladis.

*E S.*

Chremes, Chremetis, *vel* Chremis; Laches, Lachetis, *vel* Lachis.

*I S.*

Simois, ſimoentis; Pyrois, pyroentis, Charybdis, charybditis; Paris, Paridis.

*O S.*

Rhinoceros, rhinocerotis, Tros, Trois, Minos, Minois, Heros, Herois.

*U S.*

Melampus, Melampodis; Opus, Opuntis, Amathus, Amathuntis.

*Ys.*

Capys, Capyis; Cotys, Cotyis; Chlamys, chlamidis.

*Ns.*

Lens, lendis; Lens, lentis; Frons, frondis; Frons, frontis; Aruns, Aruntis.

*Ps.*

Auceps, Aucipitis; Anceps, ancipitis; Stirps, ſtirpis.

*Rs.*

Lars, Lartis, Rex Vejentium; Concors, concordis.

*X.*

Aſtyanax, Aſtyanactis; Arx, arcis; Merx, mercis; Vervex, vervecis; Lynx, lyncis; Rex, Regis; Lex, legis; Nex, necis; Fæx, fæcis; Nix, nivis; Pix, picis; Nox, noctis; Atrox, atrocis; Nux, nucis.

*Plura reperies infrà de hoc caſu, cum de incrementis tertiæ declinationis agemus.*

## *GENITIVUS GRÆCUS*

*in Os.*

GRæco genitivo Os, ſyllaba finita, interdum utuntur Latini, ut Metamorphoſis, Metamorphoſeos, Decapolis, Decapoleos: Tanis, Taneos, Tethys, Tethyos, Erimanthis, Erimanthidos.

## *GRÆCUS GENITIVUS*

*in Us.*

M*Anto, Calliſto, Alecto, Calypſo, & cętera id genus Gręca, us, faciunt genitivo, ut* Mantùs, Calypſus, *priſci* Calypſonis, Jonis *declinabant; poſteri* Calypsus, Jùs, Mantùs.

Turbo, turbonis *nomen gladiatoris eſt.*

*Priſci* Itiner, itineris, *dixerunt.* Iter *enim* iteris *faciebat.*

*Vetuſtiſſimi* Ancipes, bicipes, tricipes, *dicebant: Unde ſuperſunt genitivi.* Ancipitis, bicipitis, tricipitis.

Supellectilis, *etiam iidem, nominandi caſu, dicebant.*

*Gręca in as, maſculina, faciunt antis genitivo, fœminina verò adis, ut* Lampas, lampadis; *quibus* Arcas, *proprium viri, & gentile additur.*

*Priſci latini* Calchas, antis, vel Calcha, Calchæ, *declinabant.*

*Gręco genitivo in dos, frequenter utuntur Poetę, ut* Erymantidos, Phoronidos, Buſiridos, *Cęteris rarius*, ut Tethyos, &c.

AC-

## *ACCVSATIVUS.*

ACcuſativus exit in Em, ut *Sermonem.*

*Exceptio I.*

Buris, cucumis, peluis, navis, ſecuris, ſitis, tuſſis, vis, in im, *exeunt.*

I I.

Febris , navis, puppis, clavis, reſtis, turris, in em, *vel* im *terminantur.*

## *ACCVSATIVUS GRÆCVS.*

GRæcus Accuſativus in a, exit , ut *Hectora, Calchanta, Aera, Æthera.*

*Exceptio I.*

*Græca o , littera finita , habent accuſativum ſimilem nominativo, ut* Manto, Calypſo, Alecto.

*I I.*

*Grę̨ca is , ſyllaba finita , quę̨ apud Latinos genitivum habent ſimilem nominativo, hoc eſt , quorum genitivus apud Grę̨cos in os , exit , nulla prę̨cedente conſonante , Accuſativum faciunt, in, grę̨cè, vel im, latinè, ut* Charybdis , Charybdin , *vel* Charybdim.

*Ys, finita frequentiùs in Yn , quàm in Ym, exeunt, ut* Tethys, Tethyn; Cotys, Cotyn, Halys, Halyn, *vel* Halym.

*Quę̨ verò genitivo creſcunt , neque accentum habent in ultima, in In, vel im, vel em, exeunt, ut* Paris, Paridis, Parin , *vel* Parim, *vel* Paridem, iris, iridis, irin , *vel* irim, *vel* iridem ; Iſis, iſidis, iſin, *vel* iſim, *vel* Iſidem , *quę̨ etiam in a , apud grę̨cos exeunt , ut* Parida , &c.

Paris, iſis, *& cę̨tera, quorum ultima non habent accentum , linguę quidem Grę̨corum communia Accuſativo a , faciunt* Parida, Iſida. *Jones verò hiatus amantes, conſonante ſubtracta ,* Parios , Iſios , *declinant, inde* Parin, Iſin. *Latini n , in m , mutantes ,* Parim, Iſim,

lſim. *Quæ autem apud Græcos accentum habent in ultima, in A tantùm deſinunt, ut Amaryllis, Titanis.* Amaryllida, Titanida.

---

### *VOCATIVUS.*

VOcativus ſimilis eſt Nominativo: ò ſermo, *hæc* Pallas, ò Pallas, ò Socrates, ò Chremes, ò Achilles, ò Heros, ò clamys. O Socrate, Creme, Achille, Uliſſe, *ad primam* ſpectant.

#### *Exceptio.*

*Græca quæ in Is, vel Ys, exeunt, neque habent accentum in ultima, apud Græcos deponunt, S, nominativi,* Mæri, Iri, Pari, Tethy. *Et apud Poetas fęminina in is; quorum genitivus exit in dis, quamvis accentum habeant in ultima,* ò Amarilli, Tyndari, Oebali.

*Item propria in As, quorum genitivus exit in Antis, apud eoſdem poetas deponunt, S,* ò Palla: ò Calcha.

*Præterea, quæ ante S, habent diphthongum, ferè S, litteram abiiciunt,* ut Simoeis, Tydeus, Melampous, ò Simoi, Tydeu, Melampu. *Quæ omnia, apud Atticos vocativum ſimilem habent nominativo,* ò Paris, Calchas, Simois, Melampus, *quos interdum imitantur Latini.*

Pallas, Calchas; *& cętera hujus formæ, apud Græcos, an, faciunt vocativo,* ò Pallan, ò Calchan. *Poetæ abiiciunt n,* ò Palla, ò Calcha.

---

### *ABLATIVUS.*

A*Blativus exit in E,* à teſte, duce, hoſpite, paupere, pubere, ſoſpite.

#### *Exceptio I.*

*Nomina, quorum accuſativus, exit in In, vel Im; Neutra in Al, Ar, E: Nomina menſium, Adiectivum, cuius neutrum E littera terminatur, I, poſtulant;* ut Charybdi, ſiti, animali, calcari, monili, ſeptembri, brevi,

Qui-

*Quibus accedunt.* Pluri, ſtrigili, canali, memori, Far, nectar, hepar, jubar, *E, contenta ſunt; item* Gauſape, Soracte, Præneſte, Reate, *& cætera locorum propria hujus poſitionis, ſi tamen huc ſpectant; Sunt enim pleraque declinationis expertia.*

II.

*I, vel E, petunt cætera Adjectiva, & Subſtantiva, quorum accuſativus in Em, vel Im, deſinit, ut* à felice, *vel* felici, ingente, *vel* ingenti, nave, *vel* navi.

*Quibus addes* amnis, ignis, imber, ſupellex, vectis,

## *APPENDIX I.*

*Appellativa adjectivis ſimilia, leges adjectivorum fermè ſequuntur,* ut familiaris, annalis, bipennis, triremis, affinis: à familiari, annali, &c. Tridens à Tridente, *vel* Tridenti.

*Sin verò propria ſint, E, tantùm poſtulant,* ut Martialis, Juvenalis, Felix, Clemens, Melchior: à Martiale, Juvenale, &c.

II.

*Pleraque adjectiva, quæ in litteras ns, exeunt, ferè E, contenta ſunt,* ut Prudens, imprudens; à Prudente, Imprudente.

*Participia in E, exeunt*, ut abſente, præſente, audiente *Cicer. in Verr.* Illa Deos, homineſque implorante, iſte infanti pupillæ fortunas patrias ademit. Lib.3.

*Interdum etiam in I, ſed tunc ferè in nomina tranſeunt,* ut excellenti, libenti.

*Comparativa nomina multò uſitatiùs in E, litteram, quam in I, exeunt:* ut Superiore, faciliore, uberiore.

*Quorum accuſativus exit in In, vel Im, ablativus I, littera finitur, ut* Charybdi, Hiſpali, Ligori, cannabi, Bæti, cucumi. Juven.ſat.5. *Sæva dignum veraque Charybdi.* Bate *tamen, &* cannabe *quoque dicitur.*

*Victrix*, quo jure habet *Victricia*, eodem habet *Victrici.* Lucan. 1. l. *In ſua victrici converſum viſce-*

ra

*ra dextra. Vltrici* etiam dicetur, quia habet *ultricia.* Cætera, *Trix*, ſyllaba finita, non videntur, ablativo caſu, I, terminari.

*Apud Ovidium* cæleſte, perenne, bimeſtre, pro cæleſti, perenni, bimeſtri, *leguntur.*

Rudis, *virga, qua emeriti Gladiatores donabantur; e, facit apud Horatium;*

1. Epiſt. Spectatum ſatis, & donatum jam rude quæris
Mæcenas iterum antiquo me includere ludo.

---

## *CASVS MVLTITVDINIS.*

NOminativus pluralis exit in Es, ut *Sermones, Delphines, Troes.*

## *GENITIVUS PLVRALIS.*

G*Enitivus multitudinis in um, ſyllabam exit, ut* Juvenum, canum, panum, vatum, majorum. *Eodem modo cętera comparativa.*

### *Exceptio I.*

*In ium, exeunt, quæcumque litteris, ns, finiuntur, ut* Serpentium, præſentium.

### I I.

*Item s, littera terminata, quæ genitivo non creſcunt, ut* Collis, collium, Clades, cladium.

### I I I.

*Et quorum ablativus in i, aut e, vel i, exit, ut* Diœceſium, Syrtium, animalium, plurium, navium, felicium.

IV.

IV.

*Quibus adde* Samnitium , lintrium , cohortium, utrium, entium, fornacium, carnium.

V.

*Adhæc monoſyllaba, quæ in duas conſonantes exeunt, ut* Trabs, ſeps, pars, arx , merx : trabium , ſepium , partium , artium, &c.

V I.

*Quibus accedunt* As, aſſis, glis,lis,mus,nix,nox,os, cor,ius, lar, fauces, faucium, *& ſi qua alia ſunt à viris doctis uſurpata.*

*Hinc rurſus excipiuntur.*

Parens , degener , inops, memor, ſupplex, vetus , uber, lynx, *& alia quorum genitivus exit in um , quæ progrediente tempore , te rerum omnium magiſter uſus ſine faſtidio docebit.*

*Quædam modò in ium , modò in um , exire ſolent , ut* Paludium, paludum , fornacium, fornacum, volucrium , volucrum , &c.

## GENITIVUS GRÆCUS.

*Genitivus Græcus exit in on, hoc eſt on, per o , magnum* , Epigrammaton , hæreſeon.

## DATIVUS PLURALIS.

*Dativus in ibus exit,* ut Sermonibus : Bos *tamen* bobus, aut bubus *facit.*

*Græca à neutris in a , in is , ſyllabam frequentiùs exeunt* ut peripetaſmatis , emblematis ; poematis ; & poematibus, diplomatis, & diplomatibus.

Celſus , ut *ait Priſcianus lib. 7. arbitratur dativos Græcos , is , ſyllaba finitos , eſſe à nominativis in um* ; peripetaſmatum, emblematum , &c.

*ACCU-*

### *ACCUSATIVUS PLURALIS.*

A*Ccuſativus multitudinis in Es, ſyllabam exit, ut* Sermones : *Exit, & in Is, vel Eis, cum genitivus certorum nominum deſinit in Ium*, ut omnis, urbis, *vel* omneis urbeis, *uter alteri ſit præferendus, judicabunt aures.*

Caſus plurales nominandi, accuſandi, & vocandi, neutri generis in A, deſinunt, ſi ablativus E, tantùm exit, ut tempora : *Sin verò I, aut E, vel I, terminetur : tunc in ia, deſinent, ut* vectigalia, ingentia.

*Præter comparativa : item* Vetus, Plus, *quæ in A, exeunt*, Majora, Vetera, Plura.

Apluſtre, apluſtria, & apluſtra *facit.*

*Græcus Accuſativus.*

ACcuſativus Græcus in As, deſinit, ut Delphinas, Troas, Crateras : *Virg. Eclog.* 8.

*Orpheus in ſilvis, inter delphinas Arion.*

Non omnium, quorum genitivus pluralis exit
Lib. 7. in Ium, accuſativus pluralis deſinit in Is : ſed ut Priſcianus docet, quæ genitivum habent ſimilem nominativo, ut *Omnis, dulcis, navis, turris*. Et quæ pluraliter tantùm declinantur, ut *Manes, manium ; tres, trium.* Item *Er* ſyllaba finita ; quorum ablativus exit in I, ut *Acer, ſaluber, imber, December.* Præterea quæ in Ns, Rs, deſinunt, ut *Fons, ingens, pars, urbs.* Alia verò raro accuſandi caſu plurali in Is, vel Eis, exeunt. Legimus & *compluris, litis, pluris.*

### *QUARTA DECLINATIO.*

GEnitivus ſingularis quartæ declinationis exit in us, ſyllabam, ut Senatùs, anùs.

*Priſci* Senatuis, annuis *dicebant : apud quos etiam, I, littera, hic caſus terminabatur*, ut ornati, tumulti. *Unde Terent. more priſco.* Ejus anuis cauſa *dixit ; Et, Nihil ornati, nihil tumulti.*

Dati-

*Dativus in ui exit*, ut Senatui, anui.

*Priſcis ſæculis etiam in u, exibat; unde Virgil.* Æneid. 1.
Parce metu Cytherea.

*Dativus multitudinis in ibus*, ut ſenſibus.

*Exceptio.*

Arcus, artus, lacus, partus, ſpecus, tribus, *in ubus exeunt*, Lacubus, ſpecubus, tribubus. Portus *in ibus, & ubus.* Queſtibus, *à queror, multò uſitatius eſt, quàm* queſtubus.

*Addunt quidam*, Acubus, ficubus, quercubus. *Celſus l. 7. c. 9. ter.* Acubus *uſus eſt; non tamen* ficubus, *multò minus* ficibus *dixerim, ſed* ficis *tantùm, ſive de arbore, ſive de fructu ſit ſermo. Nam* ficus, fici, *ſecundæ declinationis utrumque ſignificat. Plinius lib. 16. cap.* 25. In ficis mirabiles ſunt, & abortus, qui nunquam matureſcunt.

---

## QUINTA DECLINATIO.

C*Aſus interrogandi ſingularis Quintæ declinationis, in ei, litteras diviſas exit*, ut diei.

*Apud antiquos in es, ſive e, exibant.*

*Vnde Virgil.* Libra die, ſomnique pares, ubi fecerit Geor. 1.
horas. *Et Ovidius:* Prima fide vociſque ratæ tenta- Meta. 3.
mina ſumpſit. *Exiit, & in duplex it. Virg.* Munera Æn. 1.
lætitiamque dii.

*Caſus interrogandi, dandi, ſextuſque multitudinis, præter* Rerum, rebus; dierum diebus, *inuſitati ſunt. Cic. non eſt auſus* ſpecierum, ſpeciebus *dicere: non tamen negat poſſe Latinè* dici.

---

## DE SYNCOPE.

OMnium fermè declinationum interrogandi caſus multitudinis, interdum, maximè à Poetis, imminuuntur; quam imminutionem Græci Syncopen vocant.

*Primæ.* Cęlicolùm, Æneadùm, Auſonidùm. Trojugenùm, *pro* Cęlicolarum, Æneadarùm, &c.

*Secundę.* Liberum, nummum, ſeſtertium, fabrum, deum, &c. liberorum, nummorum, &c.

*Tertię.* Cladum, cedum, veprum, cęleſtum, agreſtum, potentum, furentum, *pro* cladium, cædium, veprium, cęleſtium, agreſtium, potentium, furentium, *quę & alia ejuſdem generis non facilè apud Oratores reperientur.*

### *Appendix I.*

*Genitivus imminutus, à nominibus ſubſtantivis At ſyllaba finitis, uſitatior eſt, quàm plenus, ut* Civitatum, *quàm Civitatium.*

### II.

*Quidam genitivi tùm pleni, tùm imminuti ſunt uſitati, etiam apud Oratores*, ut Apium, & apum, Serpentium, & ſerpentum, Quiritium, & Quiritum, Optimatium, & Optimatum; Locupletium, & Locupletum.

*Primę declinationis nomina, quę imminuuntur, aut ſunt Patronymica,* Æneades, Dardanides, Auſonides; *aut compoſita ex verbis, ut* Cęlicola, Trojugena, Grajugena; *exempla crebra ſunt apud Virgilium, & alios Poetas.*

*Secundę declinationis, non ſolùm ſubſtantiva imminuuntur,* ut Socium, denarium, divum, *ſed etiam adjectiva,* ut meum, magnanimum, *pręcipuè quę diſtributiva appellantur,* ut quinum, ſenum, ſeptenum, denum; *Itaque etiam apud Oratores.*

## *ANOMALA SIVE Inęqualia.*

Anomala, ſive Inæqualia vocantur, quæ aut numero, aut genere, aut declinatione, aut aliquo alio attributo deficiunt.

Nu-

## *Numero inæqualia.*

QVædam ſingulari numero tantùm declinantur, vt *Aurum, nemo, aer.*

*Quædam plurali ſolùm, vt* Cani, canorum; Penates, penatum; Caſtra, calendæ, mœnia, ium, ibus.

## *Genere inæqualia.*

QVædam ſingulari numero ſunt maſculina, plurali neutra, vt *Sibilus ſibila, Balteus baltea.*

*Quædam ſingulari feminina; plurali neutra, vt* Carbaſus, carbaſa.

*Quædam ſingulari neutra plurali maſculina, vt* Argos, Argi, Argorum.

## *Declinationis inæqualia.*

VAs, vaſis, *ſingulari numero eſt tertiæ declinationis plurali ſecundæ, vt* Vaſa, vaſorum, vaſis.

Iugerū, iugeri *contrà, numero ſingulari, ſecundi eſt ordinis; plurali tertij,* iugera, iugerum, iugeribus: *interdum* & iugeris: *genitiuo ſingulari, &* iugere, *ablatiuo legitur.*

## *Caſu inæqualia.*

QVædam non declinantur in caſus; vt frugi, nihili, pondo, *quod numerum pluralem tantùm habet, cū libram ſignificat: item quatuor, quinq; & cætera vſque ad centum, quæ* aptota *ſiue* monoptota *appellantur.*

*Quædā vocatiuo carent; cuiuſmodi ſunt Interrogatiua, vt* Quis? Qualis? *Relatiua, vt* Qui, quæ, quod. *Negatiua; vt* Nemo, nullus. *Partitiua pleraque; vt* Quidam, vllus, alius. *Pronomina etiam( præter* Tu, meus, noſter, noſtras) *fermè vocandi caſu deſtituuntur.*

*Quædam nominandi, interrogandi, & accuſandi caſu: tantum habent; vt* Tantuddem, tantidem.

*Quędam nominatiuum, & vocatiuum, vt* Iupiter, ex ſpes.

*Quædam obliquos tantùm, vt* Iouis, Ioui, Iouem, Ioue

*Quædam tres ſolum obliquos, vt* Opis, opem, *ab* ope,
*Quædam duos, vt* Repetundarum, *ab his* repetundis.
*Quædam vnum, vt* Infitias, ſponte, natu.

*Apud priſcos* vaſum, vaſi, *ſecũdi ordinis fuit; vnde* vaſa vaſorum: *Plaut. Trucul.* Aut aliquod vaſum argẽteum.

*Grammatici multa Anomala congerunt, quæ ſine vlla iactura prætermitti poſſunt; maximè cùm multa cõtra eorum præcepta apud idoneos auctores legantur. Itaq; putauimus anomalorum genera, vno aut altero poſito exemplo, attingenda, cætera vſui, vt alia multa, relinquenda.*

## *DE VERBORVM.*

### *Præteritis, & Supinis.*

SImplicium leges ferme coniuncta ſequuntur.
Hinc pauca excipiam, memoriquæ mente repones.

*In verborum copulatione aut verbum, & Præpoſitio manent integra, vt* concurro, adiungo; *aut vtrumque corrumpitur, vt* colligo, allido; *aut præpoſitio manet integra corrupto verbo, vt* excido, deprimo; *aut contra verbum manet integrum, corrupta præpoſitione, vt* colludo, compono.

### *A, in E, mutant.*

*Compoſita ex verbis* damno, halo, lacto, mãdo, patro, ſacro, tracto, arceo, carpo, fallo, farcio, gradior, pario, patior, ſcando, ſpargo; *vt* condemno, anhelo, &c. *Pauca admodum retinent, A, vt* Exhalo, impartio, & impertio; Retracto, retracto, *ſed hæc, & alia id genus, vſu diſcenda ſunt.*

### *A, in I, mutant.*

*Compoſita ex* Amico, *vt* inimico, & inimicor, aris, *ex* maneo *adiũctis præpoſitionibus. E, In, Præ, Pro; Ex,* taceo, placeo, habeo, lateo, fateor, *& ex lacio, verbo priſco, vt*

allico

allicio, elicio, iacio, facio, ſapio, rapio, capio, cado, ago frango, tango, plango, cano, ſalio, ſtatuo.

*Excipe* complaceo, perplaceo, perago, circumago, ſatago, dego, cogo, repango; *& compoſita ex* Facio, *ſi ex verbis componantur, vt* tepefacio, calefacio.

### *A, in V, mutant.*

*Compoſita ex* Quatio, ſalto, calco, ſcalpo, *vt* excutio, inſulto, conculco, inſculpo.

### *E, in I, mutant.*

*Compoſita ex* Teneo, ſedeo, rego, lego, is, emo, premo, ſpecio, *verbo priſco vt* adſpicio.

*Excipe* relego, perlego, coemo.

### *V, in E, breue mutant.*

*Compoſita à* Iuro, deiero, peiero; deiuro *tamen &* periuro, *apud Plautum & Horatium reperiuntur.*

## *Nonnullæ Diphtongi in Vocales migrant.*

### *Ae, in I, longum mutant.*

*Compoſita ex* lædo, cædo, quæro, *vt* allido, concido, exquiro.

### *Au, in O, mutant.*

*Compoſita ex* plaudo, *vt* explodo, complodo, ſupplodo. *Excipe* applaudo.

### *Au, in V, mutant.*

*Compoſita ex* Claudo, *vt* excludo, concludo: *vel fiunt à* Cludo, *nam vtroque modo dicitur.*

### *Au, in E, longum mutant.*

*Compoſitum ex* Audio, *vt* Obedio.

*Compoſita quæ mutant A, in I, ſiue E, in ſupino habent E,*

*vt* Iacio, reijcio ; reiectum: Spargo, conſpergo, conſperſum.

*Excipiuntur Go, ſyllaba finita; quæ A. ſimplicis ſeruant in ſupino,* vt ago, frango, tango, *vt enim dicimus* actum *ſic* exactum: *vt* fractum, *ita* effractum. *A, etiam retinent compoſita ex* cado, vt recaſum, incaſum, occaſum.

*Compoſita tamen ex* Habeo. *I, habent in ſupino, vt* exhibitum. *Ex* Salio, & Statuto, *V, vt* inſultum, conſtitutum. *Quæ omnia his tribus verſiculis continentur,*

Simplicis A, retinent tum Go, finita ſupinis.
Tum cado, quæ gignit; reliquis E, conſulit vſus,
Hinc habeo, ſalio, ſtatuòque auferre memento.

*Qui verſiculi cum reliquis ſcholijs poſſent etiam poſt omnium verborum tractationem explicari, reliqua videntur vſui relinquenda.*

vt tendo tetendi, extendo, extendi.

Cum geminat primam ſimplex, compoſta priorem
Præteriti amittunt: Præter præcurro, repungo,
Quæque ſibi gignunt ſto, do, cum poſcere, diſco.
Decurro, excurro, *interdum primam geminant.*
Præteritis quæcunque carent, ſpoliato ſupinis.
Vt gliſco, vergo, ferio cum polleo, vado.
Ambigo, cum ſatago, quæſo, quibus hiſco, fatiſco,
Et furit, & mœret, tum aueo, tum ringor, & aio,
Et veſcor, liquor, medeor, reminiſcor, adauge,
Inſuper à verbo, ſeu nomine nata, tepeſco,
Miteſco veluti, quorum de nomine lis eſt.
Aut certè capiunt à verbis, vnde trahuntur.
Adde quibus nomen vehemens meditatio fecit;
Eſurit excepto. Veterum monumenta reuolue.

vt cœnaturio, dicturio.

*Inchoatiua verba, hoc eſt, quæ actionem quidem non incipientem, ſed inchoatam ita ſignificant, vt* magis, ac magis increſcat, *ſi à verbis fiant, vt* refrigeſco, incaleſco, *aut carent præteritis, aut certè à primogenijs ea mutuantur, vt* refrixi incalui; *Sin à nominibus deducantur, prorſus videntur præteritis deſtitui, vt* ingraueſco, miteſco, herbeſco, hiueſco.

Eſurio, *etiam ſupinum habet. Terent. Heant.* Modò

liceat

liceat viuere,eſt ſpes.*Clin.*quæ? S.nos eſurituros ſatis.
Scaturio,ligurio,abligurio,obligurio, *non ſunt meditatiua,cùm diuerſa ſint,& ſignificatione,& quantitate, nam,V,litteram producunt, cùm meditatiua eandem corripiant.*

---

## *PRIMA CONIVGATIO.*

PRæteritum primæ facit aui, atumque ſupinum.
Vt neco,nam necui,nectum, ſibi pignora ſeruant. vt eneco
At cubui,domui,crepui, vetuique ſupina. aui,atum
Dát in itum, vt cubitum; hæc tonui ſonuique ſequũtur & enecui
M,cubo cùm recipit, tantùm tibi tertia flectet. enectum.
Aſt id præteritis expungitur, atque ſupinis. Cubo,

Increpui,*malunt auctores claſsici, quàm* increpaui. domo,
*Futurum in Rus, verborum primæ coniugationis, quorum* crepo,
*ſupinum in Itum,vel Ctum exit,fit tamquam à ſupino in* veto, to-
*Atum,vt* cubaturus. fricaturus. no, ſono.
*Nomina etiam verbalia, vt* Cubatio, edomatio,*&c.* vt diſcũ-
Sectio *tamen,&* frictio *crebrò legũtur.*Domiturus.*virg.* bo, diſ-
*Plin.& Claudianus ſemel vſi ſunt, vſus te plura docebit.* cubui,
*Quæ ex verbo* Cubo *componũtur ſi litteram M. admit-* diſcubi-
*tunt, tertiæ ſunt coniugationis, vt* accumbo,decumbo, tum.
diſcumbo,incumbo,recumbo,occumbo, procumbos, *quam rurſus in præteritis, & ſupinis amittunt.* vt accubui accubitum.

*Non tamen prout cuique libuerit,licet M,litterã addere,vel adimere. Vt enim* diſcumbo, ſuccumbo,*ſemper eam retinent, ita* excubo,ſucubo,ſupercubo,*eandem reſpuunt.*] *Cætera,& admittunt,& abijciunt;* decumbo,*tamen,&* procumbo, *rariſsimè ſine,M,reperiantur.*

Dimicat,aui,atum,micui nil ampliùs optat. Mico.
A fricui, frictum; à ſecui,deducito ſectum. Frico,
A laui,lotum,aut lautum, nec ſperne lautum, ſeco.
Ex lauo compoſitum, ceu diluo, tertia poſcit.

Potatum à poto, ſeu potum, flectito,Iuui.
A iuuo tantùm,vel capies à prole ſupinum.
Dat plicui,plicitum; compoſtum poſcit vtrumque.
Supplicat,aui,atum,genitùmq;ex nomine ſolùm.

*vt expli- co. vt du- plico. triplico.*

Dimicui,*ſemel atque iterum inuenitur apud Ouidium* Emico,emicui *facit vt ſimplex.*

Potus,*etiã actiuè accipitur.Cic.pro Milõ.* Adde inſcitiam pranſi,poti,oſcitantis ducis. *Idem Trebat.lib.7.* Itaq;ſi domum bene potus ſeròq;redieram,tameu,&c.

Applico,*cũ ad nauigationẽ ſpectat, ferè* applicui *facit*·Explico *verò cũ* explanare *ſignificat*,explicaui. Replico,*fermè* replicatum *habet, vnde ſuſpicor præteritum* replicaui *vſitatius eſſe. Participia in Rus fermè à ſupinis in Atum deducũtur; à cæteris rariùs. Participia præteriti temporis in Atus, & Itus, exeunt:* applicatus *tamen &* cõplicatus,*frequẽtiora sũt, quã* applicitus, cõplicitus.

Ex do,compoſitum variabit tertia:præter.
Quæ venum,circum, peſſumq;ſatiſq;crearunt.
Do,dedit,atque datum: verùm dedit omne,ditumque.
Exigit,vt vendo, trado, quod tertia flectit.
A ſto,flecte,ſteti,ſtatum: ſtiti at inde profecta.
Atque ſtitum cupiunt,multò ſed crebriùs atum.

*vt vẽdo, condo, vt venũdo, circumdo, peſſumdo. ſatiſdo.*

Abſcondo, aſcondidi, *habet Plautus, & Silius,ſed poſteriores ferè* abſcondi:*hoc ergo vſitatũ illud priſcũ eſt.*

Abſconditus *dices rectiùs, quàm* abſconſus.

*Participia in Rus compoſitorum a ſto, frequentiùs fiunt à ſupinis in Atum,vt* Conſtaturus ,extaurus, obſtaturus; præſtiturus,*frequens eſt.*

*Quædam,quæ modò ſunt primæ, fuerũt etiã tertiæ apud priſcos,cuiuſmodi ſunt,* Sono,is,Lauo,is;*ſed* Sono *iam exoleuit,*Lauo,*tertia etiam Virg 3. A En,vſus eſt* Luminis effoſſi fluidum lauit inde cruorem:*Inde infinitum* lauere.*& paſſiuum* laui.*Priſcianus ait lib.10. omnia primæ coniugationis, quorum præteritum exit in Vi, vocales diuiſas, fuiſſe apud vetuſtiſſimos tertij ordinis.*

---

## SECVNDA CONIVGATIO.

Altera præteritis dat yi, dat itùmq;ſupinis.

Vt

Vt moneo,taceo; gignit ſed torreo, toſtum. abſorbeo ex ſorbeo.
Sorbeo cum ſocijs dat vi, tamen abſque Supino.
Adoceo,doctum;à teneo deducito tentum.
Cenſeo,fert cenſum:miſtum, tibi miſceo donat.
Quod dat vi neutrum, timeòq;carento ſupinis.
Poſcit itum valeo,careo, placeòq;dolètque,
Et iaceo,caleo,noceo, cum pareo iunges.

Taceo,tacui, tacitum *facit, cùm* reticeo, conticeo, *ſupino caret; contrà* arcitum, *ab* arceo,*non facile inuenias*,exerceo *tamen,&* coerceo,*ex eo compoſita*,exercitum,& coercitum *habent,Vnde Participia* exercitus, & coercitus.

Coaleo,*verò* coalui,coalitum *facit, &c.*

Sorpſi,ſorptum *fiunt à* ſorbo, is *verbo tertiæ coniugationis: quo vſus eſt Lucanus*, Abſorpſit penitus rupes, & tecta ferarum.

Cenſio,is,cenſire, *apud vetuſtiſſimos fuit quartæ coniugationis.Vnde* cenſio, *nomen verbale*, cenſitor, *etiam nunc exſtat; hinc compoſitum* recenſio is, *vnde participiũ* recenſitus *penultima longa.Claudian.*Priſca recenſitis euoluite ſecula faſtis. Lib.2. In Eutrop.

Pateo,patui, *ſupino caret.Nam* paſſum *fit à* pando, *teſte Phoca, Diomede, & Collio*.

Dant,di, ſum, video, ſedeo, cum prandeo;verùm Strideo.
S,geminat ſeſſum. Stridi,nil poſtulat vltrà.
Mordeo præterito geminato flecte momordi.
Morſum;hic ſpondet, tondet, ſic pendeo flectes.
Dat manſi;manſum: minui, ſed præminet optat.
Prominet, immineo, ſimul eminet abſque ſupino.
Hæreo,dat ſi,ſum,cum ſuadet, mulcet,& ardet. Maneo.
Tergeo,cum mulget,ridet, ſed torqueo tortum.
S,iuſſi,iuſſum,geminant. Indulgeo, ſi, tum.
Vrgeo,ſi tantum,cum fulget,turget, & alget.
Lugeo,fert luxi: iam pridem quæro ſupinum.
Luceo,duntaxat luxi, ſic frigeo, frixi,
Augeo,præterito facit auxi,auctùmque ſupino.
Eui,etum,vieo,flet,net,cum deleo; quæque.

Apleo naſcuntur,repleo, ceu ſuppleo, complet.
Ciui,ſume citum:quarræ ſed pignora redde.

Prandi,*vſitatiſsimum eſt. Plaut. Menæch.* Prandi in naui. Pranſus, ſum, *item* cænatus ſum,potus ſum hodie apud se, *pro* prandi,cænaui,potaui, *nondum, quod meminerim, legi apud veteres.* Prãſus *enim*,cænatus,potus, *confecto prandio,cæna,potatione,ſiue à prandio,cæna,potatione ſignificant.*

Citum,à cieo.*priorem corripit,vt ſuo loco dicemus,addita præpoſitione fit quarti ordinis,vt* accio,cõcio,excio. Conciere,*etiam ſecundæ coniugationis legitur.*

vt oboleo ſuboleo. vt obſoleo, exoleo.
Conniueo.

Nunc oleo, dat vi,dat itum,ſic pignora, patris
Quæ ſeruant ſenſum. Eui, etum fert cætera proles.
Aſt aboleuit, itum dat: fert adoleuit, adultum.
Ex veo,fit vi tum,moueo, foueòque fatentur.
A caueo,cautum; à faueo,deducito fautum.
Vi neutrum tantùm poſcit,ceu flaueo,liuet.
Et paueo,feruet;Conniui hoc poſtulat, & xi.
Audeo,nunc auſus : gauiſus,gaudeo poſcit;
Et ſolitus,ſoleo: ſolui tibi Criſpe placebat.

*Quæ ex oleo componuntur,ſi odorem ſignificant,hoc eſt , ſimplicis ſignificationem retinent,in Vi,& Itum,exeunt,vt* oboleo,ſuboleo,redoleo,peroleo. *Quæ à ſimplicis ſignificatione diſcedunt,Eui,faciunt,vt* exoleo,inoleo,*vel potius* , exloeſco; inoleſco, oboleſco,adoleo, adoleſco , oboleo,oboleſco ; *quorum* obſoleo, & exoleo,obſoletum;exoletum *faciunt*:Inoletum, *ſeu* inolitum *non memini me legiſſe apud veteres .*

*Quidam addunt* mœreo,mœſtus,ſum,*ſed* mœſtus , *potius nomen, quàm participium videtur.*

*Multa huius ordinis fuerunt apud vetuſtiſsimos etiam tertij,quorum nonnulla apud poſteros inuenies.* Feruo, is, *apud Terentium, Virgilium, Propertium , & nonnullos alios inuenitur.* Fulgo ,effulgo, *apud Virgilium.*

Libet,licet,piget; pudet,placet,*duplex præteritum habent*,libuit,libitum eſt; licuit,licitum eſt;placet,placitum eſt;miſeret,miſertum eſt;*& interdum* miſeritum

*eſt*

*eſt tantùm.* Tædet, *vel potiùs* pertædet, pertæſum eſt : *quæ omnia apud idoneos auctores inueniuntur. Plin.* pudi-turum, *Saluſt.* pœniturum, *dixere.*

---

## *TERTIA CONIVGATIO.*
### *Poſitio, ſiue Terminatio Io.*

POſtulat, in ſpicio, aut licio quod deſinit, exi.
Ectum, vt conſpicio, allicio . Tamen elicit optat
Elicui, elicitum. A feci, deducito factum;
A ieci, iactum . Dat fodi, S, duplice, foſſum.
Vult fugi, fugitum. Sapui, ſapiue, nec vltra
Progreditur ſapio. Cupio, iui, gignit & itum.
Dat capio, cepi, captum. Sed cœpio priſcum
Fert cœpi, cœptum. A rapui, deducito raptum
Dat peperi, partum, aut paritũ; ſint pignora quartæ.
Dant cuſſi, cuſſum, cutio finita parente.
Vteris quaſſi, quaſſum, ſi legeris vſquam.
Ritè vo, poſcit vi, ac vtum; ſit diluo teſtis .
A ruo, dic ruitum; ſed vtum, dant pignora tantùm.
A ſtruxi, ſtructum, à fluxi deducito fluxum.
Congruo, nulla luo, metuòque, pluòque ſupina,
Annuo cum ſocijs, batuo, ingruo, reſpuo gignunt.

Elicio. Facio. Iacio. fodio. Fugio. Rapio. pario. vt excutio, diſcutio. Quatio. vt diruo. obruo. Struo. fluo, vt renuo, innuo.

Specio, ſpexi, ſpectum, *verbum priſcum eſt, vnde nata ſunt,* adſpicio, conſpicio, deſpicio, inſpicio, perſpicio, reſpicio.

Allicio, illicio, pellicio, *ex Latio verbo obſolete sũt nata:* Allicui, pellicui, *pro,* allexi, pellexi, *iam exoleuerunt.*

Cœpio, *quo Cato, & Plautus vſi ſunt, exoleuit: præteritum tantùm, & quæ inde fiunt, in vſu ſunt: habet etiam præteritum* cœptus ſum. Congrua, nulla luo, &c. *Claudiant tamen in 6. Conſul. Honorij* luiturus *auſus eſt dicere:* Vaſtato tandem pœnas luitura profundo.

*Cùm* pario, *priſcis temporibus , quartæ fuerit coniugationis , nemini mirum videri debet , ſi ex eo compoſita eiuſdem ſint ordinis.*

Bo,

### *Bo.*

vt bibo ſcribo, nubo.

Bo,dat bi,dat itum.Scabo, lambo, carento ſupinis.
A ſcripſi, ſcriptum: à nupſi, deducito nuptum.

### *Co.*

Ptico, duco.

Ici,fert ictum; à duxi depromito ductum.
A parſi,parſum; geminat quoque parco, peperci.
Vinco.cupit vici,victum,A dixi,exige dictum.

### *Sco.*

Conquiniſco.

Sco,vi,tùmq;petit,ceu noſco,qui eſco,ſueſco :
Dat gnitus agnoſco, cognoſco iungitur illi .
Dat paſco,paſtum. Conquexi linque vetuſtis.
Vult diſco,didici tantùm; ſic poſco,popoſci.
Diſpeſco, dat vi, pariter compeſcere ſolùm.

Nupſi, *vel* nupta ſum:*vtrumque enim vſitatum eſt.*

Parco, *etiam* parcitum , *videtur feciſſe,* & parcui , *apud Priſcos.*

### *Do.*

Pando. Retũdo, retuſum.

Do,di,ſum gignit, veluti defendere, cudo:
N,tamen amittunt fundo, cum ſcindere, findo/
S,geminat fiſſum,ac ſciſſum; dat pandere,paſſum .
Tundo,petit tutudi,tunſum; ſed pignora tuſum.
Sume cado,cecidi,caſum; cape cædo, cecidi,
Cæſum. Dat tentum,vel tenſum,tendo tetendi.
Pedo,pepedit habet:penſum,fert pendo, pependi.
Tum rudo,tum ſido,tum ſtrido, carento ſupinis.
Dant ſi,ſum,claudo,lædo,cum rodere,trudo,
Diuido,cum plaudo, rad, cum ludere; vaſi,
Ac vaſum , à vado capiant ſibi pignora tantùm .
Cedo,petit ceſſi,ceſſum facit inde ſupino .

*Nonnulla compoſita ex* Cado , *ſupinum habent, vt* incido;occido,recido;incaſum,occaſum,recaſum.

*Compoſita ex verbo* tendo, *frequentius in Tus,exeunt,* contentus,extentus, intentus, prætentus, protentus ,

*Dicitur*

*Dicitur,&* extenſus, intenſus: Oſtentus, *tamen elegantius eſt, quàm* oſtenſus, *quo priſci vſi ſunt*.

Sido, *præterito mutuatur à* ſedeo, ſedi, *teſte Priſciano: proprio tamen vſus eſt Columella*, ſidi. Lib. 12. cap. 24.

Edo, edi, eſum. *Sic* adeſum, ambeſum, comeſum, *melius quàm* comeſtum.

*A verbis* ſcando, mando, *Phocas* ſcandi, & mandi. *recipit* Manſum, *probat Tullius, & Quinctilianus, Plinius*

Frendo, Is frendi, freſſum. *gemino, S. priſcum eſt, quod* frangere *ſignificat; iam exoleuit.* Claudo, *etiam* cludo, *ab auctoribus probatis dicitur*.

## *Go, vel Guo.*

Dat xi, ctum, Go, vel Guo, vt plango, exſtinguo
Supinis,
N, tamen abijciunt ſtringo, cum pingere, fingo.
Tango, cupit tetigi, tactum: egi, ago, poſcit & actum.
Sume pago, pepigi, pactum: cape pangere, panxi,
Vel pegi, pactum; gaudent compoſita ſecundo. Impegi, cópegi,
Dat legi, lectum. Fregi, dat frangere fractum. Lego, frango.
Negligit exi, ectum, cum intelligo, diligo poſcit.
Prodigo, cum dego, ſugo, priuato ſupinis.
Dat pungo, pupugi, punctum, dant pignora fermè
Punxi. Vult, ſi, ſum, ſpargo, cum mergere, tergo.
Dant xi, xum, figo, frigo, caret ango ſupinis.

Pergo, ſurgo, ex rego *compoſita, verba ſunt imminuta, pro* perrego, ſurrego; *præterita & ſupina plena ſunt*, perrexi, perrectum; ſurrexi, ſurrectum. Pago, *verbum priſcum eſt, quod* paciſcor, *ſignificat*.

Pango, panxi, *fecit, &* pegi, *apud priſcos, quod nunc in compoſitione manet*.

Prodigo; dego, exago *compoſita*. prodegi, degi, *quamuis* prodegi, *parum ſit vſitatum, ſupinis carent; at* cogo, coegi, coactum, *facit*.

*Nomen* ſuctus, *apud Plinium reperitur: quid ſi ſupinum* ſuctum, *etiam in vſu fuit?*

*Nihil cauſa eſt cur* ligno, *excipiatur, cùm* linctũ *ſit in*

*vſu*, Pupugi *frequentiſsimum eſt; at* punxi, *non facil*
*uenias* .

### *Ho.*

Traho; A Traxi, tractum. A vexi, deducito vectum.
veho. Meio, facit minxi, mictum, nec plura require.

### *Lo.*

vt molo. Lo, luit, atque litum: colo, cultum; conſulo gignit
Conſutlum; occulit, occultum. Aſt alo, poſcit & altum
Ante carent cello, præcello, excello, ſupinis.
Præteritum duplex perculſi, perculit, optat
Percello, perculſum, haud plura require ſupina.
Dat pello, pepuli, pulſum. Vult fallo; fefelli,
Quōdam Falſum. A velli, vel vulſi, deducito vulſum,
tetuli fe- Sublatum, tollo, nunc tantùm ac ſuſtulit, optat.
cit. Salo, facit, ſali, ſalſum. Dat pſallere, pſalli .
Malo, volo, nolo, cum pſallo, carento ſupinis.
Altus, *participiū ſepe numerò inuenitur*; alitus, *rarius.*

### *Mo.*

Mo, per vi, dat itum. Tremo flectitur abſque ſupino.
Tremo. Dant pſi, ptum, demo, promo, cūm ſumere, como.
Emo; Emi, fert emptum. Premo, preſſi, S, duplice preſſum.

### *No.*

Pono, gi- Dat poſui, poſitum: genitum, genuiſſe repoſcit.
gno, Cō- Dat cecini, cantum: cinui, dant pignora centum.
cino, cō- A ſino, ſit ſiui, atque ſitum: Dat eſternere ſtraui,
centum. Ac ſtratum. Spreui, ſpretum dat ſpernere. Cerno.
Creui; ſed cretum, capiunt ſibi pignora ſolùm.
Dat tempſi, temptum, temno, ſi legerit vſquam.
Decreui, Lini, vel liui, leuine, litumque triſulcum.
decretū. Fert lino .........................................................

### *Po.*

Strepo, .......Po, pſi, ptumque, petit, ceu ſcalpere, carpo.
rumpo. A ſtrepui, ſtrepitum; à rupi deducito ruptum.

*Que*

*Quo.*

Linquo, ſibi liqui, cupiunt ſibi pignora lictum. Relinquo,

*Ro.*

Dat coxi, coctum, Tero, triui, poſcit & itum. Coquo.
A, gero, fit geſſi, geſtum. Dat curro, cucurri.
Curſum: quæſitum, quæro, quæſiuit habeto.
Ferre, tuli, latùmque. Vro dabit vſſit & vſtum.
Præteritum verri, à verro eſt, verſumque ſupinum. Fero
A, ſero, fit ſeui, atque ſatum; vi, ruſtica proles.
Fert & itum; dat vi, ertum; aliena a rure propago.

Cello, is *iam prorſus exoleuit* Celſus, excelſus, præcelſus, *nomina potiùs videntur, quàm participia.*

Refello, *ſupino caret.*

Adimo, ademo. *alij ab emo deducunt, facit* ademi, ademptum:

*Præteritum* temſi. *ſupinumque,* temtum, *non facilè reperias. Compoſitum* contemſi, contemtum, *vſitatiſſimum eſt.*

*Doceantur pueri verbũ* Fero *cũ prapoſitionibus Ad, Ex, Cõ, In, Dis copulare, quæ ſæpe eis negotiũ faceſſunt;* Affero, attuli, allatum; effero, extuli, elatum; confero, contuli, collatum; infero, intuli, illatum; differo, diſtuli, dilatũ.

Sero *apud vetuſtiſsimos etiam* ſerui *fecit, & ſupinum* ſertum. *Vnde eſt illud Lucani.* Coronas nardo ſertas; *vnde & ſerta dicta ſunt.* Lib. 10.

*Compoſita quæ ad rem ruſticam pertinent, faciunt præterito* Eui, *ſupino* Itum, *vt* inſero, inſeui, inſitum, *vnde inſitiones dicuntur.* Diſſero, *hoc eſt,* diſſemino, diſſeui, diſſitum, conſero, *id eſt ſimul* ſero, conſeui, conſitum, aſſero, *id eſt, iuxtà* ſero, aſſeui, aſſitum.

*Quæ verò à ſimplicis ſignificatione recedũt, Erui, & Ertum faciunt, vt* inſero, *id eſt,* immitto, inſerui, inſertum, *Sic* diſſero; *hoc eſt,* diſputo, conſero, *hoc eſt,* miſceo, certo, *vnde conſerere prælium, certamen manum, &c.* Aſſero, *hoc eſt,* affirmo, obſero, *vel potiùs,* circumſero, *vt* ſero,

*ſim-*

*ſimplex* obſeui,obſitum,*tantùm.* Exſero, *hoc eſt extraho.* exſerui, exſertum *tantùm;* Deſero, *hoc eſt,derelinquo,* deſerui,deſertum; *hoc rarò ad rem ruſticam pertinet.*

### *So.*

Capeſſo, So,ſiui,ſitumque petit,dat viſere,viſi.
faceſſo, Ac viſum.Inceſſo,inceſſi, tamen abſque ſupino,
acceſſo, Pinſitus,ac piſtus,pinſuſque à pinſuit exit.
laceſſo,

### *Cto.*

Xi,xum,dant plecto,cum flecto,nectere,pecto:
Dant quoque pecto, xui,nectoque.Peto,iuit,& itum.

### *To.*

Stertuit,à ſterto tantùm. Meto,meſſuit optat,
Ac meſſum.S,gemino; Miſi,dat mitto,ſupinum
Verto. S,duplici miſſum, à verti, deducito verſum.
vt reſiſto Siſto,ſtiti,ſtatum,actiuum. Neutrale ſequetur
inſiſto. Sto verbum: vnde ſtiti, atque ſtitum, ſibi pignora ſument.

### *Vo.*

A uixi,victum. A volui, deflecte volutum.
Texui,amat texo,ac textum: ſoluique ſolutum.

Accerſio,& laceſſio, *etiam quartæ coniugationis reperiuntur.*

*Compoſita à* ſiſto, *neutra ſunt, & tam in præterito, quàm ſupino I,vocalem ſeruant, vt* reſiſto, reſtiti, reſtitum *Sic* ſubſiſto,obſiſto,perſiſto,inſiſto, *quorum ſupinis tutiùs vteris,cùm apud probatos ſcriptores legerit.*

---

## *QVARTA CONIVGATIO.*

Sepèlio. IVi,itum,vt polio,faſtidio,quarta requirit.
ſingultio Fert veni,ventum,venio; Sepelire, ſepultum.
Singultum,ſingultit amat: dat amixit, amictum.
Ex pario natum, per vi flectatur,& ertum:

Com-

Comperio,reperitque,petit ri, poſcit & ertum. Aperio.
Sancio,dat ſanxi,ſanctum, ſimul optat & itum. operio.
Sentio,vult ſi,ſum. Sepſi,dat ſepio,ſeptum. Reperio.
Hauſi,fert hauſtum:dat vinxi,vincio,vinctum.
Farcio,dat farſi fartum. Vult fulcio,fulſi. Haurio.
Ac fultum. Sarſi,ſartum,dat ſarcio verbum.
Væneo, fert vænum, quod fermè vænijt optat.
Dat ſalui, ſaltum: proles ſibi vendicat ſultum.

Amixi, *magis placet, quàm amicus; Participium* amictus, *frequens eſt.* Salio,inſilio.

*Liuius* ſepiui, *dixit;* Ideo cum munimentis ea ſepiſſent, *pro* ſepiuiſſent. Lib.4.de cap.5.

Haurio,hauriui,*vel potiùs* haurij *interdum facit.*

Salio,*etiam* ſalij *facit: Statius*,excuſſi ſalierunt cuſpide dentes.

Cambo,campſi, ptum *tum demum vteris, cùm apud bonos auctores inueneris.*

---

## *DE PRÆTERITIS ET ſupinis verborum Deponentium, &c.*

Ex, or,finitis actiuam fingito vocem:
Vt vereo,vereor: veritum fluet inde ſupinum.
Præteritùmque ſimul veritus ſum. Cætera fingi.
Hac ratione queunt:pauca excipienda memento.
Areor,eſto,ratus;nanciſcor,nactus habeto:
Orſus,ab ordiri,deducitur; vſus, ab vtor
Vult fateor, faſſus; proficiſcor,ſume profectus:
Metiri menſus gignit; pactùsque;paciſcor.
Cùmq;miniſcor amat commentum: adipiſcor,adeptũ.
Vltus,ab vlciſcor venit; Expergiſcor habebit.
Ex perrectus:At oblitum,obliuiſcor adoptat.
Dat labor,lapſus; Miſereri, funde miſertus.
Fert vtus loquor atq;ſequor;Queror,accipe queſtus.

Dant nitor,nixus,niſuſque. Gradi accipe greſſus;
Redde fruor, fruitus; Morior,tibi mortuus hæret.
Naſcor amat natus. Tandem fert ortus oriri.
In tribus extremis per iturus, flecte futurum.

Apiſcor, *quo vtitur Tacitus*. Nihil annuentem,dum dominationis apiſceretur; *aptus ſum fecit apud priſcos; vnde* adipiſcor, adeptus ſum, & indipiſcor, indeptus ſum.

Nixus, *frequentiſſimum eſt*,niſus, *rarius*. Enixus *ad partum ſpectat*; Eniſus, *ad cæteros conatus*. Adniſus *ſiue* Anniſus *frequens eſt*.

Tutum, *à* tutor *non eſt in vſu*, Titus ſum, *à tueor*, fit. Fatiſcor,& defetiſcor, *carent præteritis* Feſſus *enim, &* defeſſus, *nomina ſunt potiùs, quàm participia*.

Liceor,licitus,opperior, oppertus, *faciunt, rariùs* opperitus.

---

## *APPENDIX EX*

### *Scholijs in Verborum coniugationem.*

### *ſæpius pueris inculcanda.*

CVm modus, vt Grammaticis placet,nihil aliud ſit quàm voluntas, vel animi affectio per vocem adſignificata, mirum eſt eos tàm multas, tàm varias hominum voluntates, & affectiones, tam paucis modis circumſcripſiſſe, ad quos rem propè infinitam conantur reuocare,quàm rectè,ipſi viderint. Potentialis certè modus, Permiſſiuus, ſiue Conceſſiuus digni quidem ſunt, propter eorum ſingularem ornatum,,& elegantiam, qui non ſolùm, vt cæteri, pleni, ac integri perſcribantur,ſed etiam,vt aureis litteris exarentur. Plus enim ſplendoris ſoli, & venuſtatis orationi, quàm cæteri omnes afferunt.

*De modo Potentiali.*

UT elegantia horum modorum meliùs perſpiciatur, plura exempla de ſingulis ferè temporibus ſubiiciemus. Dicitur verò Potentialis modus, quòd potentiam, ſive facultatem præcipuè adſignificet. Solet enim verbo *poſſum* explicari Horatius. *Quis Martem tunica tectum adamantina dignè ſcripſerit?* (Wer wolt nach der gebühr von dem *Martis* ſchreiben kinden? ) *Chi potra gia mai ſcrivere degnamente di Marte?* Adſignificat etiam *Debitum*, unde verbo *debeo*, aliquando explicatur. Cicer. 3. Verr. *De iure vero civili, ſi quis novi quid inſtituerit is non omnia, quæ antea acta ſunt, rata eſſe patiatur*, id eſt, non debet pati rata eſſe, ut idem exponit. 1.Carm.

Interdùm, & voluntatem adſignificat. Virgilius. *Et quiſquam nomen Junonis adoret?* id eſt, *adorare velit.* (Und Wird iemand die *Junonem* wellen anbetten? *E ſara giammai chi voglia adorare Giunone?*) Huiuſmodi poſſunt illa eſſe: *Diſcam potiùs, quàm doceam; Paream potiùs, quàm imperem.* Æn. 1.

*Modi potentialis tempus præſens, Amem.*

CIc. 3. de Orat. *Ego te Conſulem putem?* (Solt ich dich für einen Burger meiſter halten? *Io ti tengo Conſolo?*) Terent. *Tunc impunè hoc faciat?* Solt dir diſs alſo hingehen? *Tu l'abbi fatto ſenza pena?* Quintilian. *Frangas citiùs, quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt.* Lib. 1. cap. 9.

*Tempus imperfectum Amarem.*

CIcero: *Tu denique Labiene quid faceres tali in re ac tempore.*

Nonnunquam malunt auctores duobus verbis: quam uno uti. Cicero: *Verùm ſi de pecunia teſtibus planum facere non poſſem, illud negare poſſes?* Potuit uno verbo, dicere, illud negares? 4.Verr.

*Præteritum perfectum, Amaverim.*

Plautus, *Audiſtin tu me narrare hæc hodie?* So *Ubi ego audiverim?* (Wo ſolt ichs gehort haben?) *Dove io l'averia potuto intendere?*

*Virgil. lib. 9. Æneid.*

*Vnus homo, & veſtris ò cives, undique ſeptus.*
*Aggeribus, tantas ſtrages impunè per urbem*
*Ediderit? iuvenum primos tot miſerit Orco?*

*Præteritum pluſquam perfectum, Amaviſſem.*

15. Met. Ovid. *Quò potiùs hinc, propriore loco Romano petiſſes.*
Lib. 12. Cic.Cornit.*Plura ſcripſiſſem, niſi tui feſtinarent.*

*Futurum Amaverim.*

3. de Or. Cicer.*Syrtim patrimonii, ſcopulum libentiùs dixerim.*
Lib. 9. ab Liv. *In iuſſu tuo*, inquit, *Imperator, extra ordinem*
Urb. Lib. *nunquam pugnaverim*: Quintilian. *Et quidem hæc ad*
11. *quædam prodeſſe non negaverim*, (Wolt ich nit laugen, oder, ich wils nit gelaugnet haben; *Non lo negarei già mai, overo, non l'averia già mai negato*) Idem m—; *Equidem, vel mediocrem orationem, commendatam viribus actionis affirmaverim* (dorfft ich wol ſagen. *Ardirei ben dire*) *plus habiturum eſſe momenti, quam optimam eadem deſtitutam.*

Huc etiam videntur pertinere locutiones illæ, quibus veniam, pacemque precamur. Cic. *Pace tua*
3. Tuſc. *dixerim.* Idem; *Pace Magiſtri dixerim.* Seneca de
de Fato Clement. *Maluerim velis offendere, quàm placere adu-*
cap. 2. *lando.* Ich Wolt oder Wil lieber mit der Warheit verlezen, als mit dem ſchmeichlen gefallen. *Vorrei, ò voglio più toſto offendere con la verità, che adulando piacere.*

MO-

## *MODUS PERMISSIVUS*
### *ſeu Conceſſivus.*

*Tempus præſens, Amem.*

PErmiſſivus, ſive Conceſſivus modus, permiſſionem ſignificat; Unde & nomen invenit, qui etiam Conjunctivo, voce ſimillimus eſt. Ejus uſus, excepto Futuro, in ſecundis, & tertiis perſonis potiſſimùm cernitur. Primam enim non facilè invenias

Terent. in Adelph. *Quid iſtuc? tibi ſi iſtuc placet*
*profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet*, Cice- 2. Acad.
ro. *Hæc ſi vobis non probamus, ſint falſa ſanè, invidioſa ſanè non ſunt.*

*Præteritum perfectum modi Permiſſivi, Amaverim.*

Cic. *Malus civis, improbus conſul, ſeditioſus homo,*
*Carbo fuit, fuerit aliis* (Nun ich gibs zue, ſe jes gleich 3. Verr.
andarn gewelen: *Sia così che il ſia ſtato ad altri*) *tibi quando eſſe cœpit? Heus vide, quid te ſuturum ſit? vir ille, quem injuria affeciſti, proximo anno fuit Conſul. fuerit* So: (ſeij ers geweſen, oder, er ſeij es gleich wol geweſen. *Sia pur così, che il ſia ſtato.*

*Futurum, Amavero.*

Cicer. *Age, reſtitero Peripateticis, qui ſibi cum* Lib. 1.
*Oratoribus cognationem eſſe dicunt, &c. Reſtitero* (ich gibs zu ich mich ſezen, oder widerſtehen werd.) *Orsù ſia così, che io abbia da far reſiſtenza:* Idem; *Suſtinuero Epicureos, &c. Dio loro quid faciam Stoico?* Diomedes hunc modum Affirmativam ſpeciem appellat. Affirmativa, inquit, ſpecies hujuſmodi, cùm in re dubia, in qua parum altercantibus aſſentimur, ſpecie ſubjunctiva, quaſi ſit factum, affirmamus; *Veluti*, cùm dicimus. *Fecerit, dixerit,*

id eſt, crede eum dixiſſe, aut feciſſe, quod neque dixerit, neque fecerit.

*Futurum aliter, Amaveris.*

Hic prima perſona ſingularis deſideratur. Utimur hoc modo, cùm diu aliquid ſuaſimus, ſed fruſtra; itaque tædio confecti, atque omni perſuadendi ſpe abjecta, in hac voces prorumpimus: exempli cauſa, *Vixeris, ut libet, ſatis ſit, te tuorum ſcelerum conſcientia perpetuò cruciari.* Interdum mitiùs, ac leniùs iiſdem vocibus utimur, quibus ſignificamus, nos alicujus rei curam penitus abiicere, eamque aliorum arbitrio, judicioque committere.

Cicero; *Quàm ſibi conveniat, ipſe viderit.* (Da ſehe er zu, oder laſſ ihn darumb ſeben) *Veda colui, al quale tocca.* Idem de Amicit. *Quàm rectè id facias, viderint ſapientes.* Idem de Natur. Deor. *Quàm ſimile iſtud ſit, tu videris.* Atque hæc hactenùs.

*Primi Libri Finis.*

# EMMANUELIS ALVARI

E Societate JESU,

## GRAMMATICARVM INSTITUTIONUM

*Liber Secundus*;

## DE CONSTRUCTIONE OCTO PARTIUM Orationis.

EDITIO POSTREMA

A VARIIS ERRORIBUS EMENDATA;

TRIDENTI,

Ex Typographia Epiſcopali Joannis Paronii.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

# DE OCTO PARTIUM ORATIONIS CONSTRUCTIONE, LIBER II.

## *QUID SIT SYNTAXIS, & in quot partes diſtribuatur.*

SYntaxis græcâ, latinâ Conſtructio,eſt recta partium orationis inter ſe compoſitio. Porrò recta compoſitio ea cenſenda eſt, qua uſi ſunt Auctores, qui purè, & emendatè ſcripſerunt.

Hæc duplex eſt, altera Intranſitiva, cùm orationis partes aut nullum poſt ſe caſum habent. Cicero ad Q. Fratrem: *Valent pueri, ſtudiosè diſcunt, diligenter docentur*, aut certè non diverſum ab eo, qui anteceſſit. Idem; *Pax eſt tranquilla libertas*. Altera Tranſitiva, cùm partes nimirum orationis in caſum diſſimilem præcedenti tranſeunt. Idem ad Attic. *Pompeius amat nos, charoſque habet*. Lib. 3. Philip. 3. Lib. 2.

Utraque in Juſtam, & Figuratam dividitur. Illa omnibus ſuis numeris perfecta, atque expleta eſt. Cic. Lentul. *Ego omni officio, ac potiùs pietate erga te, cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſi nunquam ſatisfacio.* In hac,ut plena ſit nonnihil deſideratur. Item ad Att. *Ego ſi Tiro ad me cogito in Tuſculanum*, quæ omnibus ſuis numeris abſoluta erit, ſi duo verba addas, hoc modo; *Ego ſi Tiro ad me venerit, cogito in Tuſculanum proficiſci.* Aut mutatur aliquid, ut Juſta efficiatur. Idem ad eund. *Quàm turpis eſt aſſentatio, quam vivere ipſum turpe ſit nobis.* Si vita ipſa,dixiſſet Juſta erat. De figurata copioſiùs poſtremo loco dicendum eſt: nunc à Juſta, eaque Intranſitiva, quòd facilior, expeditiorque ſit, initium faciemus. Lib. 1. Lib. 15. Lib. 13.

## *DE CONSTRUCTIONE*
### *Intranſitiva.*

VErbum perſonale finiti modi, antecedit Nominativus apertè, vel occultè, ejuſdem numeri, & perſonæ.

Lib. 14. Cic. *Si vales, bene eſt: ego quidem valeo.* Terentius in Eunucho: *Quis hic loquitur:* Ibid. *Quid ſtamus, cur non imus hinc?*

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

I.

VErbum infinitum interdum partes Nominativi agit.

Cic. in Oratore: *Oportere, perfectionem, declarat Officii.* Terent. in Heauton timorumeno; *Non eſt mentiri meum.*

Item verbum cum ſuo caſu.

Lib. 7. Idem ad Marium: *Vacare culpa magnum eſt ſolatium.* Brut. ad Att. *Dolet mihi, quod tu non ſtomacharis.*
Lib. Epi. ad Brut.

II.

Prima, & ſecunda perſona, ferè non explicantur, niſi cùm diverſa ſtudia ſignificamus.

Lib. 4. Auctor ad Herennium: *Ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi ſine periculo eſſe non curatis?*

Ibidem. Aut cùm plus ſignificamus, quàm dicimus. Idem: *Tu iſtud auſus es dicere?* Cic. in Verr. *Tu innocentior, quàm Metellus?* Tu, plus ſignificat, quam verbum ipſum per ſe declarat.
Lib. 8.

*AP-*

## *APPENDIX SECUNDI Generis.*

I.

VOces copulatæ ſæpè verbum plurale deſiderant.

Cic. ad Att. *Hic nobiſcum ſunt Nicias, & Valerius.* Lib. 12.

Interdum ſingulari contentæ ſunt.

Idem de Senectute: *Mens, & ratio, & conſilium in ſenibus eſt.*

Nonnunquam omittitur conjunctio.

Idem ad Q. Frat. *Frons, oculi, vultus, perſæpè mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè.* Lib. 11.

II.

Verbum plurale nobiliorem perſonam ſequitur; Prima nobilior eſt, quàm ſecunda, & tertia; ſecunda tertiæ anteponitur.

Cic. ad Terentium; *Si tu, & Tullia lux noſtra valetis, ego & ſuaviſſimus Cicero valemus.* Lib. 14.

Utuntur & hic interdum Oratores numero ſingulari, ſed rariùs.

Cic. pro Rabirio; *Vos, vos inquam, ipſi, & Senatus frequens reſiſtit.*

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

VErba Apparet, Fallit, Fugit, Præterit, Latet, interdum loco Nominativi membrum orationis habent.

Cic. Attico: *Apparebat illas litteras non illius eſſe.* Lib. 12.

Idem

Idem in Oratore. *Quem, quæſo, noſtrum feſellit, ita vos eſſe facturos?*

II.

Idem accidit nonnunquam verbis paſſivis.

De Ami. Cicer. *Tarquinium dixiſſe fertur tum, cùm exulaſſet, ſe intellexiſſe, quos fidos amicos habuiſſet, quoſque infidos.*

Tuſc. 5. Idem verbo. Videtur uſu venit: modò apertè.

Cicer. *Non mihi videtur ad benè vivendum, ſatis poſſe virtutem.*

Lib. 12. Modò obſcurè: Cic. Att. *Quòd Lentulum inviſis, valdè gratum, pueros attribue ei, quot, & quos videbitur; Deeſt attribuendos eſſe. Quamquam uſitatius eſt; Ferunt Tarquinium dixiſſe;* aut, *Fertur Tarquinius dixiſſe.*

III.

Poetæ verbo plurali interdum utuntur, intercedente
Æn. 1. præpoſitione Cum. Virgil. *Remo cum fratre Quirinus jura dabant.*

Lib. 1. Oratores ſingulari. Cic. Att. *Tu ipſe cum Sexto ſcire velim, quid cogites.*

IV.

Poetæ etiam intercedente præpoſitione Cum, verbum multitudinis præſtantiori perſonæ reddunt.

Æn. 2. Virg. *Divellimur inde Iphitus, & Pelias mecum.*

Oratores verò verbum Nominativo reddunt, nul-
Lib. 3. la habita ratione Ablativi. Cic. Att. *Atque utinam jam ante vixiſſes, nec totum animum tuum mœrori mecum dediſſes.*

Quod idem & Poetæ faciunt. Horat. in Arte. *Tu, quid ego, & populus mecum deſideret, audi.*

---

*Verbum infinitum.*

VErbum perſonale infiniti modi poſtulat ante ſe accuſandi caſum.

Lib. 16. Cicer. Att. *Hunc quidem nimbum citò tranſiſſe lætor.* Terent. in Adelph. *Salvum te advenire gaudemus.*

## *DE ADIECTIVIS, & Subſtantivis.*

NOmina Adjectiva, Pronomina, & Participia, cohærent cum ſuis Subſtantivis, genere, numero, & caſu.

Cicer. in Verr. *Erat hyems ſumma tempeſtas perfrigida, imber maximus.* Terent. in Eunucho; *Ille bonus vir nuſquam apparet.* Curt. *Parva ſæpè ſcintilla contempta, magnum excitavit incendium.* Lib. 6. Lib. 6.

## *APPENDICES PRIMI*

### *Generis.*

I.

SUbſtantiva conjuncta ferè adjectivum multitudinis requirunt.

Livius. *Hipocrates, & Epicides nati Carthagine, ſed oriundi à Syracuſis.* DeBello pun. 4.

Quod ſi adjectivum ſingularis ſit numeris, cum viciniore ſubſtantivo, genere, numero, & caſu conſentiet.

Q. Cicer. *Multorum arrogantia, multorum odia, ac moleſtia perferenda eſt.* Terent. in Eunuch. *Viden' otium, & cibus quid faciat alienus?* de petit. Conſ.

II.

Adjectivum plurale præſtantius generis ſibi vendicat; Virile præſtantius eſt muliebri, & neutro.

Terent. in Andria; *Domus uxor, liberi inventi invito patre.* Livius. *Concilia, populi, exercitus vocati.* Ab Urb. I.

Neutrum muliebri præfertur, præcipuè cum de rebus inanimatis ſermo eſt.

Saluſt. *His genus, ætas, eloquentia propè paria fuere.* In Catil.

Idem

In Catil. Idem. *Divitiæ, decus, gloriam in oculis ſita ſunt.*

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

PArticipia Factus, Creditus, Dictus, Dicendus, Viſus, Appellatus, & cætera ejuſdem generis, ſi poſt, vel inter duo Subſtantiva diverſorum generum ponantur, cohærent cum eo, quod eſt baſis, & fundamentum orationis.

Lib. 5. cap. 5. Plinius. *Puteoli Colonia Dicæarchia dicti.*

Ibid. *Oppidum Paſtum Græcis Poſidonia appellatum.*

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

FIgurata conſtructio cenſenda eſt, cùm apud probatos Scriptores, è duobus Subſtantivis, adjectivum conſentit cum minùs præcipuo.

Lib. 2. Cic. de Divinat. *Non omnis error ſtultitia dicenda eſt.*

Lib. 1. ab Urb. Terent. *Nunquam æquè ac modo paupertas mihi onus viſum eſt & miſerum, & grave.* Livius: *Gens univerſa Veneti appellati.*

II.

Poetæ, Subſtantivis præpoſitione Cum copulatis, plurale adjungunt ſuo jure.

Lib. 2. Ovid. Metamorph. *Sors eadem Iſmarios Hebrum cum Strimone ſiccat.* Iſmarios, adjectivum eſt duorum fluviorum.

Lib. 5. Iidem etiam generis præſtantiam amant.

Ovid. Faſtor. *Ilia cum Lauſo de Numitore ſatis.*

III.

## III.

Cum Subſtantivis rerum inanimatarum ſæpè Bell.
jungitur neutrum multitudinis. Livius: *Ira & ava-* Mac. 7.
*ritia imperio potentiora erant.*

Idem: *Formiis portam murumq; de cælo tacta nun-* Ibid. 5.
*tiatum eſt.*

Cicero tamen ferè proximi Subſtantivi, pluralis
numeri, habet rationem, ſive agatur de rebus ina-
nimatis, ſive de animatis.

In Catilinam. *Video P. C. in me veſtrum omnium* Orat. 4.
*ora, atque oculos eſſe converſos.* Ad Attic. *Nobis inter* Lib. 1.
*nos noſtra ſive incommoda, ſive vitia, ſive injurias eſſe*
*tolerandas.* Ad Q. Frat. *Toti denique ſit provinciæ co-* Lib. 1.
*gnitum, tibi omnium, quibus præſis, ſalutem liberos,*
*famam, fortunas eſſe charisſimas.*

Sic Livius; *Hoc S. C. litteræque à Spurio Poſthumio* Bell.
*Prætore in Hetruriam miſſa ſunt.* Mac. 7.

Quod ſi de rebus tantùm animatis ſit ſermo,
tutiùs fuerit circuitione uti, hoc modo; *Lucretia*
*caſtiſſima fuit, qua virtute etiam ejus mancipium flo-*
*ruit:* potiùs, *quam Lucretia, & ejus mancipium ca-*
*ſtæ ſunt;* vel ſecundùm primam Appendicem primi
generis: *Lucretia, & ejus mancipium eſt caſtum,* &
contrà.

## IV.

Servatur interdum ſimplex Conſtructionis ratio. Lib. 9.
Juſtin. *Miſericordia, & perfidia in eo pari jure dilectæ.* Lib. 1.
Quintilian. *Tranſeamus id quoque, quod Grammaticè,* cap. 10.
*quondam, ac Muſicæ junctæ fuerunt.*

---

## RELATIVA.

RElativum Qui, Quæ, Quod, concordat cum
antecedente Subſtantivo, in genere, & numero
Cic. ad Tir. *Nemo nos amat, qui te non diligat.* Id. Lib. 16.
ad Ter. *Accepi ab Ariſtocrito tres epiſtolas, quas lacry-* Lib. 14.

*mis propè delevi.* Idem pro Quintio; *Nullum eſt officium tam ſanctum, atque ſolenne quod non avaritia comminuere, atque violare ſoleat.*

Item Pronomina; Hic, Iſte, Ille, Ipſe, Is, & Idem, cum fiunt Relativa.

Idem ad Att. *Eunti mihi Antium, venit obviam*
Lib. 2. *tuus puer; is mihi litteras abs te, & commentarium Conſulatus mei græcè ſcriptum reddidit.*

## APPENDICES

### Primi Generis.

I.

RElativum Qui, Quæ, Quod, cùm antecedenti præponitur, cum eodem, genere, numero, & caſu, perquam venuſtè cohæret.

Lib. 9. Cic. Att. *Quos cum Mario pueros, & Trebatio miſeram, epiſtolam mihi attulerunt.* Idem pro Sylla. *Quæ prima innocentis mihi defenſio eſt oblata, ſuſcepi.*

I I.

Quod ſi inter duo Subſtantiva ponatur, cum alterutro conſentire poterit, etiam ſi alterum ſit proprium.

Saluſt. *Eſt locus in carcere, quod Tullianum appel-*
Catil. *latur* Curt. *Darius ad eum locum, quem Amanicas*
Lib. 3. *Pylas vocant, pervenit.* Cic. de natura Deor. *Propiùs à*
Lib. 2. *terra Jovis ſtella fertur, quæ Phaëthon dicitur.*

---

## APPENDICES SECUNDI

### Generis.

I.

QUantus, Qualis, & cætera id genus nomina, cùm Relativa fiunt, non cum antecedente, ſed

ſed cum conſequente Subſtantivo, genere, numero, & caſu conſentiunt.

Cic.ad Caſſium; *Dixi de te, quæ potui, tanta contentione, quantum forum eſt.* Idem in Brut *Utinam in Tiberio Graccho, Caioque Carbone talis mens ad Rempublicam bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit.* Lib. 12.

II.

Orationis membrum interdum vice antecedentis ponitur, idque in neutro genere.

Cic. Attic. *Pompeius, quod mihi ſummo dolori eſt, ipſe ſe afflixit.* Idem pro Corn. *Unum obiicitur, natum eſſe Gadibus, quod nemo negat.* Lib. 2.

## APPENDICES TERTII *Generis.*

I.

SI plura antecedant Subſtantiva conjunctionibus ligata: idem obſervandum eſt in Relativis, quod paulò ante de adjectivis dictum eſt. 1. Offic. Lib. 5.

Cic. *Propter ſummam & doctoris auctoritatem, & urbis, quarum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis.* Idem ad Q. Cæcil. *Sed tibi venire in mentem certo ſcio, quæ vita eſſet noſtra, quæ ſuavitas, quæ dignitas, ad quæ recuperanda per fortunas incumbe.*

II.

Interdum redditur etiam Relativum viciniori Subſtantivo. Idem in Piſon. *Mihi non venerat in mentem, furorem & inſaniam optare vobis, inquam incidiſtis*

Cæſar Maſculinis, & Fœminino rerum animatarum, Relativum Neutrum reddidit; *Leporem, & gallinam, & anſerem guſtare fas non putant; hæc tamen alunt animi, voluptatiſque cauſa.* Bel.Gal. 5.

Ubi non ſpeciem, ſed genus Animal reſpexit.

## I I I.

cõmunis tribus ſuperioribus regulis.

Nominativus, & Verbum: Adjectivum, & Subſtantivum: Relativum, & Antecedens, interdum, maximè apud Hiſtoricos, & Poetas, ſenſu, & ſignificatione conſentiunt, quamvis voce diſcrepent.

Æn. 1. Bell. Mac. 7.

Virg. *Pars in fruſtra ſecant, verubuſque trementia figunt.* Liv. *Pars in juveniles luſus verſi, pars veſcentes ab umbra, quidam ſomno etiam ſtrati.* Terent. in Andria. *Ubi illic eſt ſcelus, qui me perdidit.*

Huc ſpectant, quæ numero ſingulari multitudinem ſignificant, ut *Populus, Turba.* Ovid. 2. Faſtor. *Pia turba Quiritum, & patrias aras, militiamque colant.*

Præterea nonnulla Partitiva, ut *Quiſque, Uterque, Neuter, Uter, Alter, Alius, Aliquis.* Liv. 1. ab Urbe. *Quiſque ſcelus regium, ac vim queruntur.*

Denique vocabula, quæ poſitione quidem unius ſunt generis, ſignificatione verò alterius.

Curt. lib. 4. *Duo millia crucibus affixi, per ingens littoris ſpatium pependerunt.*

---

## *SUBSTANTIVA*

### *Continuata.*

SUbſtantiva continuata, quæ ad eandem rem ſpectant, caſu concordant, quamvis genere, & numero aliquando diſſentiant.

Lib. 1. Bell. Gall. 1. Lib. 1. Epiſt.

*Marcus Tullius Cicero Publio Lentulo Proconſuli ſalutem plurimam dicit.* Cæſar *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen dividit.* Plin. ad Caninium. *Quid agit Comum tua meaque deliciæ?*

A P-

## *APPENDICES TERTII*
### *Generis.*

I.

INterdum alterum Subſtantivum Genitivi eſt ca-
ſus, Cic. Attic. *Caſſius in oppido Antiochiæ, cum* Lib. 5.
*omni exercitu eſt.* Virg. *Excelſam Butbroti aſcendimus* Æn. 3.
*urbem.*

II.

Subſtantivis diverſi generis, aut numeri, Verbum
Adjectivum, & Relativum ſic reddatur. Primò, ſi
alterum proprium ſit hominis, cum eo verbum,
cęteráque conſentient. Cicer. ad Marium: *Deliciæ* Lib. 7.
*verò tuæ noſter Æſopus ejuſmodi ſuit, ut ei deſinere per*
*omnes liceret.*

Secundò, ſi verò de aliis rebus agatur, ſæpiſſimè
Verbum Adjectivum, Relativumque magis com-
muni reſpondebit. Livius. *De Solis urbe, quæ in Cili-* Bell.
*cia eſt, egerunt.* Soli ſolorum eſt urbs. Plin. *Tungri* Mac. 7.
*civitas Galliæ fontem habet inſignem.*

Juſtinus tamen ad proprium reſpexit. *Ad cujus,* Lib. 31.
inquit, *emolumentum egregiè pertinere ratus, ſi ſibi* cap. 2.
*Byzantium nobilem, & maritimam urbem, recepta-* Lib. 9.
*culum, terra marique ſuis copiis futurum, in poteſta-*
*tem redegiſſet.*

---

## *VTRINQVE NOMINANDI CASVS.*

OMne verbum Perſonale finiti modi, utrinque
Nominativum habere poteſt, cùm utrum-
que nomen ad eandem rem pertinet; cujuſmodi
maximè eſt verbum Subſtantivum, Vocativum,
& alia verborum genera.

Teren. in Phorm. *Senectus ipſa eſt morbus.* Cic. *De* Off. 2.

*Amicitia alio libro dictum eſt, qui inſcribitur Lælius.* Lib. 3. Saluſt. *Virtus clara, æternaque babetur.* Cic. Attic. *Ego* Phil. 2. *vivo miſerrimus.* Idem in Marc. Ant. *Defendi Rempublicam adoleſcens, non deſeram ſenex.* Terent. *Pater deſcendentem filium amplexus eſt triſtis.* Virg. *Sic fatur lacrymans.*

---

## *APPENDICES TERTII*
### *Generis.*

I.

VErbum Subſtantivum, & Vocativum, cum inter, vel poſt duos nominandi caſus diverſi numeri ponuntur, conſentient cum eo Subſtantivo, quod eſt verbi, ut ita dicam, baſis, & fundamentum, ubicumque ſint locorum, ut in hac oratione: *Adoleſcentes modeſti, ſunt ornamentum juventutis: Adoleſcentes modeſti ornamentum ſunt iuventutis.* Verbi baſis, & fundamentum eſt; *Adoleſcentes modeſti*, quocunque modo vertas hæc verba.

Lib. 33. cap. 3. Plinius. *Nec argenti ſuere bigæ, atque quadrigæ.* Metam. 1. Ovid. *Omnia pontus erat; deerant quoque littora ponto.* Idem: *Domus aurea fuerunt.*

II.

Si aliter loquamur, erit Figurata conſtructio. Plin. lib. 4. cap. 4. *Anguſtiæ, unde Peloponeſus procedit, Iſthmos appellatur.*

---

## *NOMINATIVUS POST VERBUM*
### *Infinitum.*

VErbum Perſonale Infiniti modi, poſt ſe Nominativum petit, cum res ad nominativum præcedentis verbi pertinet.

Cic.

Cic.de Nat.Deor. *Nolo eſſe longior.* Idem pro Marcel. *Malim videri nimis timidus, quam parum prudens.* Terent. Adelph. *Pater eſſe diſce ab aliis, qui verè ſciunt.* Ibid. *Meditor eſſe affabilis.* Lib. 1.

---

## *APPENDICES PRIMI Generis.*

I.

SI verba Puto, Aio, Refero, & alia ejuſdem ſignificationis, Infinitum præcedat, durior efficitur oratio.

Lucan. *Utque fidem vidit ſceleris, tutumque putavit,* Lib. 7.
*Jam bonus eſſe ſocer, lacrymas non ſponte cadentes*
*Effudit, gemituſque expreſſit pectore læto.*
Orator dixiſſet: *Jam ſe bonum eſſe ſocerum.*

II.

At ſi Accuſativus anteceſſit, & ſequatur neceſſe eſt. Cicer. in Catil. *Cupio P. C. me eſſe clementem; cupio in tantis Reipublicæ periculis non diſſolutum videri.*

---

## *APPENDIX SECUNDI Generis.*

INfinitum Eſſe, accedente verbo Licet, Dandi vel Accuſandi caſum poſt ſe poſtulat. Cicero: *Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondæ.* Idem pro Flac. *Cur his per te frui libertate, cur denique eſſe liberos non liceat?* Tuſcul. 1

## *APPENDICES TERTII*
### *Generis.*

I.

NOnnunquam ſubauditur præcedens Accuſativus aut Dativus. Curt. *Octoginta talenta*
Lib. 8. *conſtituit daturum Alexander*; pro *ſe daturum*.

Cicer. pro Ligar. *Liceat eſſe miſeros, quamquam hoc victore eſſe non poſſumus.*

II.

Infinitum Eſſe, cum cæteris verbis, quæ Dativo
Lib. 11. gaudent, ferè Accuſativum habet. Terent. Heaut.
cap. 1. *Expedit bonas eſſe nobis.* Quinctilianus tamen Dativo uſus eſt: *Oderit reum*, inquit, *verba aucupantem, & anxium de fama ingenii, & cui eſſe diſerto vacet.*

III.

Cùm infinito, Eſſe, accedit verbum dandi, planè videtur poetica locutio. Horat. in Arte. *Mediocribus eſſe poetis. Non Homines, non Dii, non conceſſere columnæ.*

IV.

Illa; Videris mihi eſſe prudens; Videor tibi eſſe gravis, non ſunt hujus loci. Nam Nominativus prudens, gravis, non ad Dativum pertinet, quod hic requiritur, ſed ad Nominativum verbi præce-
Philip. 2. dentis. Cicer. *Neſcio, quid turbatus mihi eſſe videris.*
De Fin. 5. Idem. *Hoſtiliam dico, non hanc novam quæ mihi minor eſſe videtur, poſteaquam eſt major.*

## *INTERROGATIONIS,*
### *atque Reſponſionis conſenſus.*

INterrogatio, & Reſponſio caſu conſentiunt: ut *Cui præceptori dediſti operam? Platoni.*

Cujus

*Cujus eſt hæc oratio? Ciceronis.*
*Quem exiſtimas fuiſſe principem Oratorum? Demoſthenem.*
*Quo morbo fuiſti impeditus? Aſſidua febricula.*

## APPENDIX SECUNDI Generis.

CErta dictionum proprietas in cauſa eſt, quo minùs interrogatio, & reſponſio caſu cohæreant; ut: *Cujus eſt hoc pallium? Meum. Quanti emiſti calamum? Quadrante*, de quibus ſuo loco.

# DE CONSTRUCTIONE Tranſitiva Nominis.

## GENITIVUS poſt NOMEN Subſtantivum.

QUotieſcumque duo nomina Subſtantiva rerum diverſarum in oratione continuantur, alterum erit Genitivi caſus.

Cicer. in Piſon. *Supplicium eſt pœna peccati.* Idem ad Cælium; *Mirum me deſiderium tenet urbis.* Idem de Amicit. *Maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.* Lib. 2.

## APPENDIX PRIMI Generis.

ADjectiva cum ſubſtantivè ponuntur, more Subſtantivorum conſtruuntur.

Lib. 1. Cicer. de Senect. *Tantum cibi, & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.* Idem in Verr. *Sicilia tota ſi una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris ſuit, id mihi, tu C. Verres, eripuiſti, atque abſtuliſti.*

Hujus claſſis ſunt: *Multum, plus, plurimum, tantum, quantum, minus, minimum, ſummum, extremum, ultimum, poſtremum.*

---

## APPENDIX SECUNDI *Generis.*

REus Genitivo, vel Ablativo cum præpoſitione De, gaudet, *Reum facere rei capitalis, alienæ culpæ, audatiæ, avaritiæ; De ambitu; de vi;* apud
Lib. 2. Ciceronem leguntur. Ad Att. *Nunc reus erat apud Craſſum divitem de vi.*

---

## APPENDICES TERTII *Generis.*

ABdita rerum, ſtrata viarum, occulta ſaltuum; & id genus alia, ferè apud Poetas, & Hiſtoricos reperiuntur.

Tacitus: *Per anguſta, & lubrica viarum flexerunt.*

---

## GENITIVUS, vel ABLATIVUS *poſt nomen Subſtantivum.*

SUbſtantiva cùm ad laudem, vel vituperationem referuntur, Genitivo vel Ablat. gaudent. Cic. ad Marcel. *Neque te monere audeo præſtantem,*

pru-

*prudentia virum, neque confirmare maximi animi hominem, virumque fortiſſimū.* Plin. *Choromandarum gentem vocat Tauron ſilveſtrem, ſine voce, ſtridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.* Lib. 4. Lib. 7. cap. 2.

---

## *GENITIVUS*
### *poſt nomen Adjectivum.*

I.

ADjectiva, quæ Scientiam, Communionem, Copiam, & his contraria ſignificant, cum Genitivo junguntur; ut Peritus, Ignarus, Particeps, Expers, Plenus, Inanis.

Cicero in Brut. *Fabius pictor, & juris, & litterarum, & antiquitatis bene peritus fuit.* Ex eodem: *Antonius omnis eruditionis expers, atque ignarus fuit.* Idem: *Virtutes ita copulatæ, connexaque ſunt, ut omnes omnium participes ſint.* de Or. 2. de Fin. 5. Lib. 9. de Or. 1.

Idem ad Papir. *Stultorum plena ſunt omnia.* Ex eod. *Omnia plena conſiliorum, inania verborum videmus.*

II.

Item quædam in Ax, Jus, Idus, & Oſus, ut *Philoſophus tenax recti; nullius culpæ conſcius: avidus virtutis; ſtudioſus litterarum.*

Quinct. *Tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus.* Cicer. ad C. Anton. *Cum T. Pompeius, homo omnium meorum in te ſtudiorum conſcius, tui cupidus, noſtri amantiſſimus ad te proficiſceretur, aliquid mihi ſcribendum putavi.* Lib. 1. cap. 1. Lib. 5.

III.

Quibus adde; Memor, Immemor, Securus.

Ut, *Memor beneficii, Immemor injuriæ, Securus tumorum.*

Cicer. *Quòd immemor beneficiorum, memor patriæ* Phil. 11.

Lib. 9. *fuiſſet.* Curt. *Securi caſus ejus, qui ſupervenit ignaris.*

Multa præterea, quæ certis locis comprehendi non poſſunt, ut *Præceps animi, integer vitæ, ambiguus conſilii, ſeſſus belli, immodicus iræ, &c.* ferè ad Hiſtoricos, & Poetas ſpectant.

---

### *APPENDICES PRIMI Generis.*

CErtior, Genitivo vel Ablativo cum præpoſitione De, gaudet. Cicer. Att. *Faciam te conſilii*
Lib. 3. Lib. 4. *noſtri certiorem.* Idem ad Sulpit. *Cùm te tranquilliori animo eſſe cognovero, de iis rebus, quæ hic geruntur, certiorem faciam.*

---

### *PARTITIVA.*

#### I.

PArtitiva Genitivo multitudinis gaudent.
Lib. 3. Cic. de Nat. *Elephanto belluarum nulla pruden-*
Lib. 2. *tior.* Idem de Senectut. *Minus habeo virium, quam veſtrum utervis.* Idem ad Q. Frat. *Domus utriuſque noſtrum ædificatur ſtrenuè.*

Partitiva ſunt: *Alius, aliquis, alter, alteruter; Nemo, neuter, nullus; Quis, quicunque, quidam, quilibet, quiſquis, quivis, quiſpiam, quiſquam, quiſque: Solus, ullus, unuſquiſque, uter, uterque, utercunque, uterlibet, utervis.*

#### II. Item Numeralia nomina.

Ab Urb. 2. Livius; *Imperium ſummum Romæ habebit, qui primus veſtrum, ò iuvenes, oſculum matri tulerit.* Curt.
Lib. 8. *Octoginta Macedonum interfecerit.* Idem; *Nolo ſingu-*
Ibid. *los veſtrum excitare.*

III.

### III.

Deniqne, quæcumque Adjectiva partitionem ſignificant, Interrogandi caſum poſſunt admittere.

Cicer. de Senect. *Multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ.* Livius. *Macedonum fere omnium & quibuſdam Andriorum, ut manerent, perſuaſit.* Curt. *Cum paucis amicorum ad Leonatum pervenit.* Plin. *Lanarum nigræ nullum colorem bibunt.* Mac. 1. Lib. 10. Lib. 8. cap. 48.

---

## *APPENDIX TERTII*
### *Generis.*

NOnnunquam ſubſtantiva, maximè apud Plinium, hanc conſtructionem admittunt: *Volucrum animal parit veſpertilio tantùm.* Niſi fortè quis dicat, ſubaudiendum nomen partitivum, Solus. Lib. 10. cap. 6.

Numeralia frequentiſſimè cum ſuis ſubſtantivis copulantur; ut *Septimus Rex Romanorum; Duo milites: ſinguli duces.* Nota.

---

## *SUPERLATIVA*

SI multa ejuſdem generis comparentur, utendum eſt Superlativo, cum Genitivo plurali.

Cicer. *Theophraſtus elegantiſſimus omnium philoſophorum & erudititſſimus: non magnopere reprebenditur, cum tria genera dicit bonorum.* Plin. *Demoſthenes ſummus Oratorum Græciæ.* Tuſc. 5. Lib. 33. cap. 1.

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

### I.

TAm Superlativa, quàm Partitiva, etiam Genitivo ſingulari, qui multitudinem ſignificet, conjunguntur.

Cice-

Cicero pro Quint. *Habet adverſarium P. Quintius, verbo, Sextum Nævium; re vera huiuſce ætatis homines diſertiſſimos, ornatiſſimoſque noſtræ Civitatis.* Idem pro Rabir. Poſthum. *Virum unum totius Græciæ facilè doctiſſimum Platonem, in maximis periculis, inſidiiſque eſſe verſatum, accepimus.*

Huc ſpectant quæcunque nomina numero ſingulari multitudinem ſignificant; *Populus*, *Gens*, *Municipium*, *Ætas*, *Italia*, *Græcia*, pro ipſis Italis, Græcis.

II.

Tum Superlativa nomina, tum etiam Partitiva, quæ cum ſuis Subſtantivis caſu cohærent, &
Lib. 2. genere, & numero conſentiunt. Cicero de Natur.
Deor. *Indus, qui eſt omnium fluminum maximus, non aqua ſolùm agros lætificat, ſed eos etiam conſerit.*
Lib. 18. Plinius; *Hordeum frugum omnium molliſſimum eſt.*
cap. 1. Pomponius Mela: *Famam habet ob Cereris templum*
Lib. 2. *Enna præcipua montium.*
cap. 7. Quòd ſi nullum ſit ſubſtantivum, cum Geniti-
ab Urb. 1. vo, quod attinet ad genus, conſentient
Lib. 9. Livius; *Summi, infimiq; Gabinorum Sext: Tarqui-*
cap. 4. *nium dono Deum ſibi miſſum ducem credere.* Quinctil.
Lib. 22. *Equidem Ciceronem ſequar: nam is eminentiſſimos*
cap. 25. *Græcorum eſt ſequutus.* Plin. *Sapientiſſima animalium eſſe conſtat, quæ fruge veſcuntur.*

---

## *APPENDICES SECUNDI*
### *Generis.*

I.

GEnitivus tàm Superlativi, quàm Partitivi in Ablativum, cum Præpoſitione E, vel Ex, vel De, mutari poteſt.

Cicero pro Cluent. *Ex his omnibus natu minimus*

*P. Sa-*

*P.Saturninus in eadem ſententia fuit.* Idem pro Sext. Lib. 16.
Roſc. *Audaciſſimus ego ex omnibus? minimè.* Idem ad Tiron. *De tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratiſſimum.*

Mutatur interdum Genitivus Superſativi in Accuſativum, cum præpoſitione Inter, vel Ante.

Cicer. pro Sext. Roſc. *Rectum putabat pro eorum ſe honeſtate pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus in-*
*ter ſuos numerabatur.* Livius. *Multitudini gratior fuit,* ab Urb.
*quam patribus, longè ante alios acceptiſſimus militum* 1.
*animus.*

II.

Superſativa, præter proprium caſum, admittunt etiam caſum ſuæ poſitionis.

Cicer. de Clar. Orat. *Fuit Sext. Ælius iuris quidem civilis omnium peritiſſimus. Omnium,* Superlativi; *iuris civilis,* Poſitivi caſus eſt.

Admittunt & Genitivum partitionis, more no-
minum, unde formantur. Plin. *Plurimi piſcium* Lib. 9.
*tribus menſibus, Aprili, Majo, Junio pariunt.* cap. 51.

---

### *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

SUperlativo interdum utimur, cùm conferuntur res diverſi generis; maximè accedente adverbio. Non ſolùm. Cicer. pro domo: *Hoc tu ſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro omnium non bipedum ſolum, ſed quadrupedū impuriſſime, Rempub. perdidiſti.*
Plin. *His tantum qui legati ad exteras gentes ituri eſ-* Lib. 33.
*ſent, annuli publici dabantur: credo, quoniam ita* cap. 1.
*exterorum honoratiſſimi intelligebantur.*

II.

Si Genitivus nominis ſit Collectivi, non neceſſariò

cum

Liv. cum eo conſentient Superlativa, aut Partitiva; ut *Summi, infimique civitatis Tarquinium exceperunt.*

Item, ſi Superlativa ſubſtantivè ponuntur. Cicer. *Cum omnium rerum mors ſit extremum.*

---

## *GENITIVUS VEL DATIVUS*
### *poſt nomen Adiectivum.*

I.

NOmina, quæ Similitudinem, aut Diſſimilitudinem ſignificant, Interrogandi, vel Dandi caſum exigunt.

Lib. 5. Philip.2. Terent. in Eunuch *Domini ſimilis &c.* Cic. de Finib. *Non video, cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius.* Idem in M. Ant. *Antonius ſaturavit ſe ſanguine diſſimilimorum ſui civium.* Idem de Claris orat. *Nihil tam diſſimile quam Cotta Sulpitio.*

II.

Item Communis, Proprius.

Cicer. de Seneƈt. *Id quidem non proprius ſeneƈtutis eſt vitium, ſed commune valetudinis.* Idem pro Sext.

Lib. 7. cap.25. Roſc. *Quid tam commune, quam ſpiritus vivis terra mortuis, mare fluƈtuantibus, litus ejeƈtis?* Plin. *Cæſari proprium, & peculiare ſit præter ſupradiƈta, clementiæ inſigne.*

---

## *DATIVUS POST NOMEN*
### *Adieƈtivum.*

I.

NOmina, quibus Commodum, Voluptas, Gratia, Favor, Æqualitas, Fidelitas, & his contraria ſignificantur, Dativum poſcunt.

Ut;

Ut; *Conſul ſalutaris, pernicioſus Reipublicæ: Jucundus, moleſtus; Gratus, inviſus; Propitius, infeſtus civibus; Fidus, infidus imperio: Par, impar tanto oneri.*

Cicero ad Cæcin. *Erat meum conſilium cùm fidele* Lib.6.
*Pompeio, tum ſalutare utrique.* Idem Attic. *O gratas* Lib. 12.
*tuas mihi, jucundaſque litteras.*

II.

Item Verbalia in bilis, ut Amabilis, Formidabilis, Optabilis. Cicer. in M. Ant. *Pax præſertim ci-* Philip.2.
*vilis quamquam omnibus bonis, mihi tamen imprimis fuit optabilis.*

III.

Quædam præterea, quæ ex præpoſitione Con, Componuntur, ut Conſcius, Conſentaneus, Concors, Concolor, Confinis, cùm adjectiva fiunt.

Item Supplex, Obvius, Obnoxius, Abſonus, Pervius, huc ſpectant.

Cicero: *Mihi conſcius ſum, nunquam me nimis cu-* Tuſc. 2.
*pidum fuiſſe.*

Idem in M. Ant. *Sulpitii mors conſentanea vitæ fuit* Philip. 9.
*ſanctiſſimè, honeſtiſſimeque actæ.* Idem Att. *Volent* Lib. 12.
*mihi obviæ tuæ litteræ.* Terent. Adelph. *Fratri ædes* cap. 8.
*fient perviæ.* Plin. *Contermina Indis gens Ariana appellatur.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

FIdus, frequentiſſimè Dativum habet: cum Genitivo raròadmodum reperitur.

Virgil. *Præterea Regina tui fidiſſima dextra* Æn. 12.
*Occidit ipſa ſua.*

## II.

Par, apud Poetas etiam Genitivo caſui adjungi-
Lib. 2. tur. Lucan. *Quem metuis, par ejus erat.*

Æqualis, cùm ad ætatem, tempuſque refertur,
4.DeFin. fere Genitivum habet. Cicero: *Conferam autem avunculum, cum C.Gracche ejus ferè æquali.*

## III.

Quæ in Bilis exeunt, paſſionem ſignificant. At
Penetrabilis ſæpè apud Poetas activè ponitur. Virg.
Æn. 10. *Adſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.*

## IV.

Conſcius, cùm ad perſonam refertur, Dativum habet. Teren. Adelph. *Conſcius mihi ſum, à me culpam hanc eſſe procul.*

Cùm verò ad rem, Genitivo frequentiſſimè jungitur, Cic. pro Cælio, *Multarum rerum conſcii ſervi.*

Interdum Dativo. Idem ibid. *Huic facinori tanto tuo mens liberabis conſcia.* Pro Cluentio: *Conſcium illi facinori eſſe arbitrabatur.*

---

### *DATIVUS, vel ACCUSATIVUS cum præpoſitione Ad, poſt nomen Adjectivum.*

ACcommodatus, Appoſitus, Aptus, Idoneus, Habilis, Utilis, Inutilis, Natus huic rei, vel ad hanc rem.

Cicer. in Piſon. *Ille gurges atque belluo, natus abdomini ſuo, non laudi atque gloriæ, omnes fortunis, multos ſama, vitaque privavit.* Idem de clar. Orat. *Cn. Pompejus vir ad omnia ſumma natus.*

AC-

## *ACCVSATIVUS, vel ABLATIVUS poſt nomen Adjectivum.*

ADjectiva quibus generalis dimenſio ſignificatur Accuſativum, vel Ablativum caſum poſtulant, qui certam menſuram ſignificet.

Livius: *Foſſam ſex cubitis altam, duodecim latam cùm duxiſſet, extra duplex vallum foſſa circumdedit.* Bell. Mac. 7.
Columella: *Eſto ager longus pedes mille & ducentos, latus pedes centum viginti.* Lib. 5. cap. 3.

Generalem dimenſionem ſignificant, *Longus, Latus, Altus, Profundus, Craſſus.* Certam menſuram: *Digitus, uncia, palmus, dodrans, pes cubitum, ſeu ulna,* quod idem eſt, *Paſſus, ſtadium, milliare, ſive milliarium.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

INterdum adhibetur Genitivus. Colum. *Medicæ ſingulos cyathos ſerere oportet in areolis longis pedum denum.* Lib. 12. cap. 2.

---

## *ABLATIVUS POT NOMEN Adiectivum.*

EXtorri, nudus, dignus, contentus, inanis;
Atq; refertus, inops, locuples, alienus, onuſtus.
Immunis, plenus, caſſus, diveſque, potenſque;
Tum fretus, vacuus, tum captus, prædìtus, orbus,
Indignus, liber, viduus, ſibi jure Latinum
Aſſumunt caſum, ut *Summo vir dignus honore.*
Livius: *Hoc (jusjurandum) patria extorrem in tuam* Lib. 5.

re-

Dec. 4. *regiam adduxit.* Cicer. Attic. *Huic tradita urbs eſt, nu-*
Lib. 7. *da præſidio, referta copiis.* Idem Cælio: *Tu mihi obviam*
Lib. 2. *mitte epiſtolas te dignas* Idem pro Quintio: *Mediocri guſtu contentus eſse non poterat.*

Quædam ex his etiam Genitivum poſcunt, ut *nudus, dignus, inanis, inops, alienus, plenus, dives, potens, vacuus, liber, viduus.* Hæc rariùs: *Excorris, onuſtus, immunis, caſsus, captus, orbus, indignus.*

---

## *APPENDICES TERTII*
### *Generis.*

ALienus præter Genitivum etiam Dativo jungitur. Cicero: *Quis alienum putat eſse ejus di-*
1. De Fin. *gnitatis, quam mihi quiſque tribuit?* Idem pro Cæcin. *Quod illi cauſę maximè eſt alienum.*

---

## *O P V S.*

OPus nomen adjectivum, accedente verbo ſubſtantivo, Ablativum poſtulat.

Terent. And. *Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem, quam paro.* Cicer. Att. *Apud Terentiam gratia opus eſt nobis, & tua auctoritate.*

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

SÆpè etiam cum ſubſtantivis more adjectivorum conſentit, neque tamen in caſus declinatur.
Lib. 2. Cicero ad Curion. *Dux nobis, & auctor opus eſt.*
Lib. 16. Idem ad Tironem: *Is omnia pollicitus eſt, quę ſibi eſ-*
Lib. 16. *ſent opus.* Idem Att. *Dices nummos mihi opus eſse ad*
Bell. *apparatum triumphi.* Livius: *Scipio ad comparanda*
pun. 10. *ea, quę opus erant, tempus habuit.*

*AP-*

## *APPENDICES TERTII Generis.*

OPus, cum Genitivo junxit Plancus: *Sed ali-* Lib. 8.
*quantum temporis, & magni laboris, & multæ* Epiſt.
*impenſæ nobis opus ſuit.*

Jungebant priſci Opus etiam cum Accuſandi caſu Plaut. Truc. *Puero opus eſt cibum*

Uſus, cùm Opus ſignificat, eodem modo ferè conſtituitur. Plaut. Aſinar. *Viginti iam uſus eſt filio argenti minis* Idem Pſeud. *Ad eam rem uſus eſt hominem aſtutum, doctum, ſcitum, callidum*, pro, Opus eſt homine aſtuto, &c.

Cicero Uſus, pro Opus utitur, ſed ſine caſu: *De* Tuſc. 4.
*cæteris ſtudiis, alio loco dicemus, ſi uſus erit.*

---

## *ABLATIVUS CUM præpoſitione.*

ADjectiva Diverſitatis, & Numeralia Ordinis, Acad. 4.
Ablativum cum præpoſitione A, vel Ab, Ad- Lib. 6.
mittunt Acad. 4.

Cicer. *Certa cum illo, qui à te totus diverſus eſt.*

Idem Attic. *Navigationis labor alienus eſt ab ætate noſtra.* Idem: *Poſt autem confecta a Carneade, qui eſt quartus ab Arceſila*

Hirtius: *Imperio, & potentia ſecundus a Rege.* Bell.
Item Securus, Liber, Vacuus, Purus, Nudus, Alex. 4.
Inops, Orbus, Extorris

Cicer. in Verr. *His quidem temporibus in omni orbe*
*terrarum vacui, expertes, ſoluti, ac liberi fuerunt ab*
*omni ſumptu, moleſtia, munere.* Idem pro domo ſua: Lib. 4.
*Tam inops aut ego eram ab amicis? aut nuda Reipublica a Magiſtratibus?*

## *COMPARATIVA.*

COmparativo utimur cum Ablativo, quando vel plura diverſi generis comparantur.

de Or. 1. Cicer. in Catil. *Luce ſunt clariora nobis tua conſilia.*
Lib. 9. Curt. *Majora ſunt præmiis pericula.*

Vel cùm duò ejuſdem, aut diverſi generis conferuntur.

Lib. 9. Cicer. ad Octav. *Quæ non poſterior dies, acerbior prio-*
Lib. 1. *re? & quæ non inſequens hora antecedente calamito-*
Epiſt. *ſior populo Romano illuxit?* Horat. *Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.*

---

## *APPENDICES PRIMI Generis.*

### I.

ABlativus Comparativi intercedente conjunctione, Quàm, mutari poteſt in caſum verbo congruentem.

Lib. 5. Cicer. in Verr. *Tu innocentior, quàm Metellus?*
Lib. 14. Idem in Attic. *Nemo unquam nec poeta, nec orator fuit, qui quemquam meliorem, quam ſe arbitraretur.* Livius. *Melior, certiorque eſt tuta pax quam ſperata*
Bell. *victoria.* Terent. Phorm. *Ego hominem callidiorem vidi*
Pun. 10. *neminem, quàm Phormionem.*

### II.

Comparativa, quemadmodum & cætera adjectiva, cùm partitionem adſignificant, Genitivum poſſunt admittere, ſive de duobus, ſive de pluribus
Lib. 11. agatur. Plin. *Animalium fortiora, quibus ſanguis craſ-*
cap. 37. *ſior; ſapientiora, quibus tenuior, timidiora, quibus minimus; & quibus nullus, hebetia.*
ab Urb. Livius: *In hanc ſententiam, ut diſcederetur, junio-*
3.

res

*res patrum evincebant.* Horat. in Arte. *O maior juvenum.*

Auctores tamen ſæpiùs Ablativo utuntur, cum præpoſitione E, vel Ex, qui caſus partitioni, maximè ubi nomen eſt Comparativum, aptiſſimus eſt.

Cicer. Attic. *Anteſcripta epiſtola ex duabus tuis prior mihi legi cœpta eſt.* Plin. ad Canin. *Minorem ex duobus liberis amiſit.* Lib. II. Lib. 3.

Aliquando Genitivus partitionis in Accuſativum, accedente præpoſitione Inter, mutatur. Quinctil. *Ille quoque occiſus eſt, qui inter nos, ut apparet fortior eſt.* Dec. 3.

---

## APPENDICES SECUNDI
### Generis.

I.

PRæter ſuum caſum, admittunt Comparativa Ablativum, ſignificantem exceſſum: *Hercules fuit procerior te cubito.* Curt. *Turris denis pedibus, quam murus, altiores ſunt.* Lib. 5.

II.

Item caſum ſuæ poſitionis. Cicero Planc. *Mihi nemo eſt amicior, nec jucundior, nec carior Attico.*

III.

Denique hos ablativos: Opinione, Spe, Æquo, Juſto, Solito, Dicto. Cicer. de Clar. Orat. *Opinione ego omnium majorem cepi dolorem.* Livius: *Reate ſaxum viſum volitare, Sol rubere ſolito magis, ſanguineoque ſimilis.* Bell. Pun. 5.

---

## APPENDICES TERTII
### Generis.

I.

Apud veteres interdum leges comparativum

cum Ablativo ; etiam cùm res ejuſdem generis conferuntur. Valerius Maxim. *Idem ſentit Fabri-*
Lib. 3. *cius Licinius, honoribus, auctoritate, omni Civitate tem-*
cap. 4. *poribus ſuis major.* Virgil. *Sed cunctis altior ibat An-*
Æn. 8. *chiſes.*

II.

Si Ablativus à nominibus Nemo, Nullus, aut à Relativo Qui, Quæ, Quod fiat, non erit locus huic permutationi. Ut enim bene latinè dicimus : *Marco Tulio, quo nemo Romanorum ſuit eloquentior, caput per ſummam injuriam abciſſum eſt.* Ita ineptè diceremus : *Marco Tulio, quam qui nemo Romanorum ſuit eloquentior, &c.*

---

## *ABLATIVUS SIGNIFICANS*
*laudem, vituperationem, partem.*

PLeraque adjectiva Ablativum poſtulant, ſignificantem Laudem, Vituperationem, Partem, Modum, vel Cauſam.

De petit. Q. Cicero : *Non erit difficile certamen cum iis com-*
Conſ. *petitoribus, qui nequaquam ſunt tam genere inſignes,*
Lib. 11. *quam vitiis nobiles.* Cicero de Orat. *Sunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita vultu, motuque corporis vaſti, & agreſtes, ut etiam ſi ingeniis, aut arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non poſſint.*

Bell. Saluſt. *Ex altera parte C. Antonius pedibus æger,*
Catil. *quòd prælio adeſſe nequibat, M. Petrejo legato exercitum permiſit. Pallidus morte, ebrius vino, mortuus æquo animo.*

---

## *APPENDICES TERTII*
*Generis.*

I.

QUamvis Oratores libentiùs Subſtantiva cum Adjectivis copulent ; ut, *Vir ſumma eloquentia,*

*exi-*

*eximia virtute, excellenti ingenio;* tamen non rarò
ipſis adjectivis, Ablativum laudis, aut vituperatio-
nis attribuunt. Cic. *Horridiores evadunt, aſperiores,* 4. De Fi-
*duriores & oratione, & moribus.* Idem: *Ut vita, ſic* nib.
*oratione durus, incultus, horridus.* Declar.
Ablativo partis rariùs utuntur Oratores. Idem: Orat. 1.
*Ergo is, quiſquis eſt, qui moderatione, & conſtantia* 4. Tuſc.
*quietus animo eſt, ſibique ipſi placatus.*
Poetæ frequenter Martial. *Crine ruber, niger ore,* Lib. 12.
*brevis pede, lumine læſus.*

II.

Ablativum partis frequenter in Accuſativum
mutant Poetæ. Virgil. *Os humeroſque Deo ſimilis.* Ho- Æn. 1.
rat. *Excepto quod non ſimul eſſes, cætera lætus.* Epiſt. 3.
Item Hiſtorici, ſed rariùs. Livius: *Falarica eſt* Bell.
*Saguntinis miſſile telum, haſtili oblongo, & cętera te* Pun. 1.
*reti, præterquam ad extremum.* Pompon. Mela. *Sar-*
*matæ totum braccati corpus, & niſi quæ vident, ora* Lib. 3.
*etiam veſtiti.* Quamquam Accuſativus Cætera, fre- cap. 1.
quens eſt apud Livium, & Plinium.

## DE CONSTRUCTIONE Tranſitiva Verborum.

Ea methodo, qua ſuperiore libro definita ſunt.

### DE CONSTRUCTIONE VERBI *Activi.*

*Accuſativus poſt verbum Activum.*

VErbum Activum, poſt ſe Accuſandi caſum
poſtulat. 1. Ordo.

In Catil. Cicer. *Avus tuus clariſſimus vir amavit unicè patriam & cives ſuos.* Hujus generis ſunt. *Diligo, lego, ſero, vebo, laudo, commendo, vitupero, ſcribo, celebro, como, adjuvo, &c.*

---

## *GENITIVUS præter ACCUSATIVUM poſt Activa.*

1.Ordo. VErba Accuſandi, Abſolvendi, Damnandi, potiſſimùm Accuſo, Accerſo, vel Arceſſo, Arguo, Alligo, Adſtringo, Coarguo, Defero, Incuſo, Infamo, Inſimulo, Poſtulo, Abſolvo, Damno, Condemno, Convinco, præter Accuſativum, Genitivum admittunt, qui pœnam, crimenve certum, aut incertum ſignificet.

Cicero pro C. Rabirio: *An non intelligis primùm quos homines, & quales viros mortuos ſummi ſceleris*
Lib. 2. *arguas?* Terent. Eunuch. *Hic furti ſe alligat.* Auctor
Lib. 4. ad Herent *Cajus Cæcilius Judex abſolvit injuriam eum, qui Lucium Poetam in ſcena nominatim læſerat.* Idem: *Majores noſtri, ſi quam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici judicio, multorum maleficiorum convictam putabant.* Cicero pro C. Rabir. *Civem Ro-*
Epiſt. 22. *manum capitis condemnare cogit.* Seneca; *Non eſt, quod quiſquam illos apud te temeritatis infamet.*

Dicitur figuratè: Teneri furti, damni, commodati, depoſiti, &c. Aliquando adhibetur Ablativus Actione, Crimine, Judicio, vel ſimilis. Ulpian. *Furti judicio tenetur.*

---

## *APPENDICES PRIMI Generis.*

I.

GEnitivus criminis, maximè cum his verbis: Accu-

Accuſo, Arguo, Defero, Poſtulo, Appello, Abſolvo, Damno, Condemno, in Ablativum cum præpoſitione De, mutari poteſt.

Cicero Att. *Non committam poſthac, ut me accu-* Lib. 1.
*ſare de epiſtolarum negligentia poſſis.* Livius: *Blaſtius* Bell.
*de proditione Daſium appellabat.* Pun. 8.

## EXCEPTIO.

Hoc tamen nomen Crimen, Ablativo ſine præpoſitione effertur.

Cicero Curioni. *Si iniquus es in me Judex, con-* Lib. 12.
*demnabo eodem ego te crimine.*

Dicimus etiam: Capite aliquem damnare, puni- Lib. 4.
re, plectere. Auctor ad Herent. *Eum vos iurati capi-* cap. 1.
*te damnaſtis.* Svetonius in Othone. *Auius es milites* Pandect.
*capite punire.* Marcellus: *Capite plecti debent, vel in* 28.
*inſulam deportari.*

II.

Abſolvo, Libero, Alligo, Adſtringo, Multo, Obligo, Obſtringo, quemadmodum extra crimen Ablativum petunt; ita & Ablativum ſignificantem pœnam, crimenve, ſine præpoſitione, admittunt.

Livius: *Ego me, etſi peccato abſolvo, ſupplicio non* ab Urb. 1.
*libero.* Lib. 1.

Cicero de Orat. *Vitia hominum, atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur.*

---

## APPENDICES TERTII *Generis.*

I.

NOn temerè utendum verbis Accuſandi, &c. Nec enim Corripio, reprehendo, vitupero, culpo, caſtigo, punio, plecto, multo, excuſo, tra-

duco cum Genitivo jungunt. *Item Suggillare, taxa-*
Lib. 10. *re alicujus parſimoniam, &c.* dicam potiùs: *quàm:*
Epiſt. 8. *Suggillare aliquem parſimonia*: Seneca: *Cùm cœperat voluptates noſtras traducere, laudare caſtum*

Idem Laudo, Commendo, Probo tuam parſimoniam, *potiùs* quam te parſimoniæ. Sic cum Cic.
Ad Att. *Excuſo tibi tarditatem meam* potiùs, *quam, Excuſo*
Lib. 15. *me tibi tarditatis.*

Damnare votis, leges apud Virgil. Damnare vo-
Eclog.5. ti, apud Livium: Virg. *Damnabis tu quoque votis.* Livius: *Damnatos voti lib. 1. ab Ur. Damnarenturque votorum.* Bell. Pun. 7.

## II.

Verba hæc Accuſandi, &c. interdum præpoſitionem in admittunt. Cic. ad Q. Frat. *Primum tibi ex-*
Lib. 2. *cuſo, in eo in quo te accuſo.*

Purgo me apud aliquem, ſeu alicui, de aliqua re, uſitatius eſt, quàm alicujus rei. Idem Attic. *De*
Lib. 10. *altero ei me purgavi.*

Admoneo, Commoneo, Commonefacio, Genitivum habent cum Accuſativo.

Lib. 1. Quinctil. *Grammaticos ſui officii commonemus.*
cap. 2. Auctor. ad Heren. *Cùm ipſe te veteris amicitiæ com-*
Lib. 4. *monefaceret, commotus es?*

### *Exceptio.*

Eadem tamen pro Genitivo poſſunt Ablativum cum præpoſitione De, admittere.

Cic. pro lege Manilia: *De quo vos paulò antè invi-*
Lib. 4. *tus admonui.* Idem in Verr. *Te neque præſens filius de liberorum caritate, neque abſens pater de indulgentia patria commonebat.*

## III.

Verba Æſtimandi, præſertim Æſtimo, Duco, Facio, Habeo, Pendo, Puto, præter Accuſativum hos ferè Genitivos aſſumunt; Magni, maximi, plu-

ris,

ris, plurimi, parvi, minoris, minimi, tanti, tantidem, quanti, quanticunque.

Cic. Attic. *Ego pro Pompeio libenter emori poſſum*, Lib. 8.
*facio pluris omnium hominum neminem.* Terent. And.
*Meri ò te ſemper maximi feci Chreme.* Idem Heaut.
*Tu illum nunquam oſtendiſti, quanti penderes.*

Genitivum *Majoris*, cum his verbis nondum legi.

---

## *APPENDICES PRIMI* Generis.

### I.

Dicimus etiam Magno, permagno, parvo, paululo, minimo, plurimo, & magno pre-
tio æſtimare. Cic. de Finib. *Ne ego iſtam glorioſam*, Lib. 8.
*memorabilemque virtutem non magno æſtimandam pu-*
*tem.* Idem in Verr. *Tu iſta permagno æſtimas?* Sene- Lib. 3.
ca: *Niſi fortè parvo te æſtimas.* Valer. Maxim. *Ma-* De be-
*gno ubique pretio virtus æſtimatur.* Terent. Eunuch. nef.
*Quid agas? niſi ut te redimas captum, quam queas* Lib. 5.
*Minimo, ſi nequeas paululo, quanti queas.* cap. 4.

### II.

Nauci, flocci, pili, aſſis, teruntii, nihili, cum ver-
bo Facio junguntur. Cic. de Finib. *Eum nihili fa-* Lib. 2.
*cit.*

### III.

Dicimus etiam: *Tuas minas hujus non facio. Flocci, nihili tuas fortunas pendo. Non aſſis, non flocci te æſtimo. Pro nihilo habeo, puto, duco divitias omnes præ virtute. Non nihilo bonam valetudinem æſtimo.*

## APPENDIX SECUNDI
*Generis:*

### I.

SUm pro Æſtimor, eoſdem illos Genitivos admittit. Cicer. Caſſ. *Magni erunt mihi tuæ litteræ.*
Lib. 15. Idem pro Sextio: *Quis Carthaginenſium pluris fuit Hannibale conſilio, virtute, rebus geſtis?*

### II.

Æqui, bonique; vel Æqui boni facio, boni conſulo, ſingularia ſunt. Terent. Heaut. *Equidem iſtuc Chreme, æqui bonique facio.* Cicero Attic. *Tranquilliſſimus animus meus totum iſtud æqui bonique facit.*
De ben. 1. Seneca: *Hanc coqui, ac piſtoris moram boni conſulo.*

---

## DATIVUS CUM ACCUSATIVO
*poſt Activa.*

3. Ordo. VErba Dandi, Reddendi, Committendi, Promittendi, Declarandi, Anteponendi, Poſtponendi, præter Accuſativum, Dativum exigunt.

Cicero pro Planc. *Salutem tibi iidem dare poſſunt, qui mihi reddiderunt.* Terent. And. *Facilè omnes cum valemus, recta conſilia ægrotis damus.* Idem Eunuch. *Ego me tuæ commendo, & committo fidei.*
Phil. 10. Cicero in Anton. *Græcia tendit dexteram Italiæ,*
Lib. 10. *ſuumque ei præſidium pollicetur.* Idem Attic. *Meas cogitationes explicavi tibi ſuperioribus litteris.*

Dandi verba ſunt; *Do, tribuo, præbeo, dedo, concedo, miniſtro, ſuppedito, commodo exhibeo, impendo.* Reddendi; *Reddo, reſtituo, refero, rependo.* Committendi; *Committo, mando, commendo, trado, credo.* Promittendi; *Promitto ſpondeo.* Declarandi; *Aperio, dete-*

*ro, expono, explico, ſignifico, indico, prodo, oſtendo, demonſtro, dico, narro.* Anteponendi; *Antepono, antefero, præpono, præfero, præopto.* Poſtponendi; *Poſtpono, poſthabeo.*

---

## APPENDICES PRIMI
### *Generis.*

### I.

ALia præterea ſunt hujus ordinis; ut *Facio tibi injuriam, facio tibi fidem. Ago vobis maximas gratias. Scribo, mitto tibi, & ad te litteras.*

Vatinius ad Cicer. *Omnia mihi dura imperas.* Sul- Lib. 5.
pit. ad Cicer. *Ea tutè tibi ſubiice, quæ aliis tutè præ-* Lib. 4.
*cipere ſoles.* Cicer. Att. *Tu, quod ipſe tibi ſuaſeris, idem* Lib. 13.
*mihi perſuaſum putabo.*

### II.

Multa denique compoſita ex Activis, & præpoſitione Ad, In, Ob, Præ, Sub, præter Dativum, etiam Accuſandi caſum poſtulant.

Cicer. Att. *Inimici mei mea mihi non me ipſum ade-* Lib. 3.
*merunt.* Idem ad eund. *Vereor, ne Pompeio quid one-* Lib. 10.
*ris imponam.* Idem in Anton. *Antonius ignobilitatem* Phil. 13.
*obiicit C Cæſaris filio.* Idem de Univerſ. *Præfecit Deus animum, ut Dominum, & Imperatorem obedienti corpori.* Idem pro Muræna: *Nolite mihi ſubtrahere vicarium meæ diligentiæ.*

Huc pertinent. *Affero, admoveo, adiicio, adjungo, addo, addico, applico, admiſceo, appono, adjudico. &c. infero, infigo, importo, injungo, iniicio, indo, ingero, incutio, inſero, inuro, &c. Oppono, offundo, offero. Præcludo, præcipio, præſcribo, præfinio, præparo. Subduco, ſubſcribo, ſubjungo, ſuppono, ſuggero.*

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

I.

HAbeo tibi fidem, id eſt, credo, uſitatiſſimum, elegantiſſimùmque eſt. Adhibeo tibi fidem, in eadem re dubium, & controverſum eſt: Præſto tibi fidem, tum dicimus, cùm ſervare fidem intelligimus.

II.

Sunt, quibus geminus Dativus, præter Accuſativum apponitur. *Do tibi hoc laudi, vitio, culpa, crimini, pignori, fænori. Vertis id mihi vitio, ſtultitiæ. Ducis id tibi honori, gloriæ, laudi, vitio, damno.*

Cic pro Sext. Roſc. *Profectò te intelliges inopia criminum, ſummam laudem Sext. Roſcio vitio, & culpæ dediſſe.* Plaut in Capti. *Æquum ſtultitiæ vertere.* Terent. Adelph. *Tu tunc tibi id laudi ducis, quod tum feciſti inopia.*

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

VErbum Mutuo, non eſt hujus loci, ſed ad Verba Accipiendi pertinet. Non enim dicimus: *Mutuavi tibi pecunias: Mutuaſti mihi centum nummos.* Sed. *Dedi tibi pecunias mutuas: Dediſti mihi mutuos centum nummos.*

Lib. II. Cic. Att. *Ego rebus omnibus, quod is quoque in anguſtiis eſt, qui cum ſumus, cui magnam dedimus pecuniam mutuam.* Terent. Heaut. *Huic drachmarum argenti mille dederunt mutuum.*

Dici-

Dicimus autem ferè, Dare mutuum de pecunia, aliiſque rebus, quæ non redduntur eadem, ſed ejuſdem generis. Nam de cæteris, Commodare, uſitatum eſt, quod etiam interdum de pecunia dicitur.

Plaut. in Aſin. *Viginti argenti minas commodare* dixit. Et Cic. pro Cæl. *Mulier, qua ſe aurum Cęlio commodaſſe dicit.*

## II.

Jubeo, cum Imperare ſignificat, aut Velle, ponitur cum Infinito. Cicer. pro Dejot. *Jubeo te benè ſperare:* Vel infinitum intelligitur. Plaut. Auſul. *Aut ſi reſpexeris, donec ego te juſſero;* intelligitur, Reſpicere.

Alioqui caſum Perſonæ non habet, ſed Rei. Ci- Lib. 1.
cero de legib. *Lex eſt ratio ſumma, inſita in natura;*
*quę jubet ea quę facienda ſunt, probibetque contraria.*

Cum autem Decernere, Statuere, Creare ſigni-
ficat, non ſolùm Accuſativum Rei, ſed etiam Per- Philip. 2.
ſonæ admittit. Idem in Anton. *Cùm primùm Cęſar*
*oſtendiſſet, ſe pridie, quàm proficiſceretur, Dolabellam*
*conſulem eſſe juſſurum;* id eſt creaturum.

Porrò, Jubeo cum Dativo, & particula Ne di- Bell.
xit Cæſar. *Militibus ſuis juſſit, ne qui eorum violaren-* Civ. 3.
*tur.* Et Macrob. *Propter quod, inquit, Hercules fa-* Lib. 2.
*cturus ſacrum, &c. ſacrorum cuſtodibus juſſit, ne mu-* Saturn.
*lierem intereſſe permitterent.* cap. 12.

Jubeo, ſequente Ut, ſine caſu; apud Plautum Amphit. legitur.

*Jubet ſententiam ut dicant ſuam.*

---

### *GEMINUS ACCUSATIVUS*
### *poſt Activa.*

MOneo, Doceo, cum compoſitis: Item Fla-
gito, Poſco, Repoſco, Rogo, Interrogo, 4. Ordo.
Celo, duos Accuſandi caſus admittunt.

Cice-

Lib. 14. Cicer. Att. *Idipſum, quod me mones, quatriduo an-*
Lib. 9. *tè ad eum ſcripſeram.* Idem ad eund. *Illud me præcla-*
In Catil. *rè admones.* Idem ad Trebat. *Silii cauſam te docui.*
DeOr.2. Saluſt. *Juventutem multis modis facinora edocebit.* Cicer. *Hæc ſunt illa, quæ me ludens Craſſus flagitabat, &c.*

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

### I.

MOneo, Admoneo, Commoneo, Docèo, Edoceo, Erudio te de hac re, id eſt, Commonefacio, Certiorem facio.

Lib. 11. Cicer. Att. *Extremum eſt, ut te orem, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de teſtamento.*
2.DeOr. Idem: *Equidem ſoleo dare operam; ut de ſua quiſque*
in Catil. *re, me ipſe doceat.* Saluſt. *Senatum edocet de itinere hoſtium.* Cicero ad Cælium: *Obvia mihi velim, ſint tuæ litteræ, quæ me erudiant de omni Republica.*

### II.

Interrogo, Celo, eandem præpoſitionem admittunt. Cic. in Partit. *Sic ego te viciſſim iiſdem de rebus*
Lib. 7. *interrogem.* Idem Trebat. *Baſſus noſter me de hoc libro celavit.*

Celo, etiam Dativo gaudet, maximè voce paſſiva. Terent. Phorm. *Si hoc celatur Patri, in metu ſum.*

---

## *APPENDICES SECUNDI*
### *Generis.*
### I.

VErbo Commoneo non auſim geminum Accuſativum dare: ſed Accuſativum cum Genitivo, vel Ablativo, ut ſupra dictum eſt.

II.

II.

Erudio, Inſtituo, Informo, Inſtruo, Imbuo, quamvis ſint verba docendi, non tamen geminum Accuſativum habent, ſed Ablativum cum Accuſativo. Cicer. Lentul. *Lentulum noſtrum cum cęteris artibus, quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tum in primis imitatione tui, ſac erudias.* Idem pro Dejot. *Quibus ille ſtudiis ab ineunte ætate ſe imbuerat.* Lib. 1.

## APPENDICES TERTII
### Generis.

I.

PEto, cum duobus Accuſativis nondum quòd meminerim, apud Veteres inveni. Nam quod Plinius. *Petere jura Cordubam* dixit, figuratum eſt; ut etiam. *Petere Indos, &c.* pro *ab Indis.* Sic Tacitus; *Experimentis cognitum eſt, Barbaros malle Romam petere Reges, quam habere*, pro *Roma.* Lib. 3. cap. 1. Lib. 12.

II.

Erudio, apud Poetas, duos Accuſativos admittit: Stat. *Et quæ te leges, pręceptaque fortia belli erudiit genitrix, nimium didiciſſe quęretur.* Sic Ovid. aliquoties. Theb. Lib. 10.

## ABLATIVUS pręter ACCUSATIVUM,
### poſt activa.

I.

VErba Veſtiendi, Implendi, Onerandi, Liberandi, & his contraria, Ablativum præter Accuſativum ſibi adſciſcunt.

Cicer. de Nat. *Oculos natura membranis tenuiſſimis* 5. Ordo.

Bell. puni. 7. *veſtivit, & ſepſit.* Livius; *Nec antè abſceſſum eſt, quam caſtris quoque exuerunt hoſtem.* Cicer. de Univerſ. *Cùm conſtituiſſet Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiſcere.* Idem; *Apollonium omni argento ſpoliaſti.* Idem in Anton. *Omnibus eum*
In Ver. 6. *contumeliis oneraſti.* Idem in Catil. *Magno me metu*
Philip. 2. *liberabis, dummodo inter me, atque te murus interſit.*

II.

Multa præterea privandi. Cic. Attic. *Ægritudo me*
Lib. 2. *ſomno privat.* Teren. Phorm. *Emunxi ſenem argento.*

Hujus claſſis ſunt: *Induo, conveſtio, inſterno, amicio, orno, tego, ſpolio, exuo, nudo: Compleo, cum cęteris compoſitis: Satio, ſaturo, farcio, refercio, cumulo, augeo, exhaurio: Obruo, premo, opprimo; Le[illegible]o, exonero: Solvo, exſolvo, expedio. Alligo, obligo, adſtringo, impedio, implico, illaqueo. Abſtineo, fraudo, prohibeo, pello, ab-*
In Catil. *dico, viduo, orbo, emungo, everto.* Cicero in Epiſt. *Ne per ſummam injuriam pupillum Junium fortunis patris conetur evertere.*

Sic idem: Abdico me Prætura, Conſulatu, Magiſtratu: Cicer. pro domo: *Ergo ejus domum everſam duobus locis conveſtitam videris.*

His addi poſſunt: *Muto, Commuto, Permuto,* Salluſt. *Nec niſi victor pace bellum mutavit.* Sic permutare aliquid pretio, ære, merce, &c.

---

## APPENDICES SECUNDI
### *Generis.*

I.

IMpleo, etiam Genitivum admittit. Cicer. ad Pætum: *Sed quando, ut video, æſtimationes vendere*
Lib. 9. *non potes, neque illam denariorum implere.* Livius: *Adoleſcentem ſuæ temeritatis implet.* Sed Ablativus uſitatior eſt.

II.

Compleo, apud Plautum, cum Genitivo repe-ritur, in Menæch. *Paraſitus, qui me complevit flagi-tii, & formidinis.*

## APPENDICES TERTII Generis.

I.

IMpleo, interdum Ablativum habet cum præpo-ſitione De, Cicer. *Res iam univerſas profundam,* Acad. 4.
*de quibus volumina impleta ſunt, non à noſtris tan-tum, ſed etiam a Chryſippo.* Martial. *Hos niſi de fla-* Lib. [illegible]
*va loculos implere moneta, Non decet.*

II.

Verba Veſtiendi, nondum quod meminerim, legi apud Veteres cum duobus Accuſativis, juncta voce activa; paſſiva quidem apud Hiſtoricos, & Poetas cum Accuſativo rei reperiuntur.

Curt. *Itaque revocatus, veſtem patris eam ipſam,* Lib. 10.
*quæ in ſella erat, induitur.* Virg. *Deinde comantem* Æn. 2.
*Androgei galeam, clypeique inſigne decorum indui-tur.*

Verùm Cicero verbis Induo, & Exuo voce acti-va unum Accuſativum tribuit. Cicero Att. *Quare* Lib. 14.
*talaria induamus.* Pro Ligario; *Non ne omnem hu-manitatem exuiſſes?*

Voce autem paſſiva Ablativum. Ad Att. *Vir in-* Lib. 1.
*dutus muliebri veſtitu.* Tuſcul. *Mens exuta vitiis.*

Interdum etiam Dativus additur. De Finib. *Ex* Lib. 2.
*eius ſpoliis ſibi & torquem, & cognomen induit.* Ovid. Met. 1.
*Jam dudum vincula pugnat Exuere ipſe ſibi.*

## *ABLATIVUS CUM PRÆPOSITIONE A, vel Ab, prçter Accuſativum poſt activa.*

VErba Petendi, Auferendi, Removendi, Abſtinendi, Accipiendi, præter Accuſativum ferè Ablativum cum præpoſitione, A, vel Ab, poſtulant.

Cicer. ad Philip. *A te autem, pro vetere noſtra ne-*
Lib. 13. *ceſſitudine etiam atque etiam peto, ut ejus filios qui in*
*tua poteſtate ſunt, mihi condones.* Idem pro Dom. *Clo-*
*dius pecunias conſulares a Senatu abſtulit.* Idem pro
Lib. 2. Milon. *Ego Clodii furorem a cervicibus noſtris repuli.*
Idem de Finib. *Abſtinet ſe ab injuria.* Idem: *Precla-*
*rum a majoribus morem accepimus.*

Quæſo, Ablativum etiam habet cum præpoſitione A, vel Abs. Cic. pro Archia. *Quæſo a vobis, ut mihi in hac cauſa detis veniam.*

Hujus claſſis ſunt: *Poſco, repoſco, flagito, efflagito, poſtulo, peto, contendo, exigo.* Auferendi: *ut Aufero, abduco, abſtraho, abalieno, avello, abrado, avoco, eripio, abripio, ſurripio.* Removendi: *Removeo, deterreo, abſterreo, amoveo, arceo, repello, averto.* Abſtinendi: *Abſtineo, contineo, refræno, cohibeo.* Accipiendi: *Accipio, audio, emo, conduco, ſumo, reporto, fero, colligo.*

Mutuo, as, pro mutuum ſumere. Val. Max. *Præ-*
Lib. 6. *ſidium potius a libertate, quam ab innocentia mutua-*
cap. 2. *vit.*

---

## *APPENDICES PRIMI Generis.*

### I.

QUæro abs te, vel ex te dicimus. Cicer. pro Sext. Roſc. *Non quæro abs te, quare patrem*

*Sext.*

*Sext. Roſcius occiderit.* Idem in Vatin. *Quare illud etiam ex te, quod privatus admiſiſti.*

II.

Intelligendi verba, ut intelligo, cognoſco, agnoſco, coniicio, diſco, præpoſitionem Ex, recipiunt. Cic. Cælio: *Ea certiſſima putabo, quæ ex te cognovero.*

Quæ imitantur nonnulla ex iis, quæ modò commemoravimus. Idem de Senect. *Poma ex arboribus ſi cruda ſunt, vi avelluntur; ſi matura & cocta, decidunt.*

Maximè quæ ex præpoſitione Ex, componuntur, ut Expello, Eijcio, Eripio. Idem pro Quint. *Expelli, atque eiici è prælio.*

---

## APPENDICES TERTII *Generis.*

I.

ORo, exoro, obſecro, hortor, cohortor, percontor, quanquam interdum duplicem Accuſandi caſum admittunt. Cicero ad Q. Frat. Lib. 1.
*Illud extremum te oro, & hortor.* Plaut. in Aulul. *Quod te non percontabor.* Cic. pro Quint. *Te hoc obſecrat;* tamen non ſtatim exiſtimabimus, ſi qua verba, præter proprium Accuſativum, admittant hos: *Hoc, illud, iſtud, id, idem, quid, quod, aliquid, nihil, multa, unum.*

Atque cæteros id genus, poſſe etiam quoſvis alios admittere. Nam his multò liberiùs, quàm cæteris Veteres utuntur. Terent. Heaut. *Ego domi ero,* Lib. 6.
*ſi quid me voles.* Cic. Att. *Non quo me aliquid juvare* Lib. 7.
*poſſes.* Terent. Eunuch. *Id amabo, adiuva me.* Cicer. Att. *Nec id te conſulo, &c.*

II.

Oro, exoro, obſecro, poſt Accuſativum perſonæ,

ferè ſubjunctivum poſtulant, intercedente Ut. Ci-
Lib. 2. cer. de Orat. *Frater exoravit me ipſum, ut huc ſe-
*cum venirem.*

III.

Quædam verba hujus ſexti ordinis præpoſitionem De, admittunt.

Coroni- Cicero pro Cornel. *Audivi hoc de patre meo puer.*
dis loco. Idem: *Fundum Romæ mercatus eſt de pupillo.*

*VARIA ACTIVORUM*
*Constructio.*

QUædam modò Dativum, modò Ablativum, cùm præpoſitione habent, præter Accuſativum, ut Aufero, Surripio, Eripio.

In Ver. 6. Plaut. Aulul. *Nihil equidem tibi abſtuli.* Cic. *Ab hoc abaci vaſa omnia, ut expoſita fuerant, abſtulit.* Plaut. Amphit. *Clanculum abii a legione; operam hanc ſurripui tibi.* Cicer. pro dom. *Captivum ex ali-*
Æn. 2. *cujus cuſtodia ſurripere.* Virgil. *Eripui, fateor, letho me, & vincula rupi.* Terent. Heaut. *Crucior bolum tantum mihi ereptum tam ſubitò è faucibus.*

Dono, impertio, adſpergo, inſpergo, intercludo, & aliquando Exuo, modò Dativum, modò Ablativum ſine præpoſitione habent, præter Accuſativum.

Bell. Cicero pro Roſc. *Non paucaſ ſuis adjutoribus largè*
Gal. 3. *effuſèque donabat.* Idem pro Cornel. *Eum Pompeius Civitate donavit.* Cæſar. *Iſ, conſuetudine populi Romani, loca capere, caſtra munire, commeatibus noſtros intercludere.*

*CONSTRUCTIO VERBI PASSIVI.*

VErbum paſſivum, Ablativum cum præpoſitione A, vel Ab, poſtulat poſt ſe, qui ex
No-

Nominativo verbi activi fit; ante ſe verò Nominativum, qui ex Accuſativo fit.

Cicero ad Cæcin. *Liber tuus & lectus eſt, & legitur à me diligenter, & cuſtoditur diligentiſſimè.*

Cùm Verbum geminum Accuſativum poſtulat, mutatur in Nominativum, qui præſtantior eſt, hoc eſt, qui perſonam ſignificat, altero permanente, Ut, *Doceo Antonium litteras: Antonius docetur à me litteras.*

Si verò uterque Accuſativus ad eandem perſonam ſpectet, uterque mutabitur in Nominativum: ut *Creo Cæſarem conſulem. Cæſar creatur à me conſul.* 5. *Induor, exuor, privor.* Cicer. pro Rab. Poſth. *Demetrius aſpide ad corpus admota, vita privatus eſt.* 6. *Audior, quæror, emor, &c.*

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

### I.

Verba paſſiva nonnunquam Dandi caſum; pro Auferendi, more Græcorum, admittunt. Cic. de Clar. Orat. *Auditus eſt nobis Læliæ Caii filiæ ſæpe ſermo.*

Idque fermè apud Poetas: Ovid. *Cùm toties eadem dicam, vix audior ulli.* 3. de Pon.

Interdum Accuſativum, addita præpoſitione Per, Cicer. Att. *Permagni eius intereſt, rem ad interregnum venire: id aſſequetur, ſi per pratores conſules creantur.* Lib. 3.

### II.

Cum verbum poſt Accuſativum admittit Ablativum perſonæ, ſi activa paſſivis permutentur, perturbatur ſenſus, ut *Aufero à te veſtem: Veſtis aufertur à me, à te.*

Ideo faciendum eſt, ut ambiguitas vitetur, hoc modo: *Veſtis aufertur à me tibi: Litteræ accipiuntur à me tibi.*

Quod tamen in his fermè verbis potiſſimùm ob-

ſervandum videtur ; *Accipio, aripio, ſurripio*, & hujuſmodi, &c.

# CONSTRUCTIO
## VERBI NEUTRI.

### *GENITIVUS poſt VERBUM Neutrum.*

1. Ordo. Lib. 2. SUm Genitivum petit, cum poſſeſſionem ſignificat. Cicer. ad Cælium ; *Jam me Pompeii totum eſſe ſcis.*

### Aut ad aliquid pertinere.

Phil. 12. Lib. 1. Idem in M. Anton. *Cuiuſvis hominis eſt errare, nullius, niſi inſipientis, perſeverare in errore.*

Idem : *Adoleſcentis eſt majores natu vereri.*

Lib. 2. Phil. 7. Idem hæc, Satago, Egeo, Indigeo, Terrent. Heaut. *Clinia rerum ſuarum ſatagit.* Cicer. Att. *Ego conſilii, quod optimum factum videbitur facies.* Idem in Anton. *Hoc bellum indiget celeritatis.*

### *APPENDIX PRIMI Generis.*

MEmini pro Recordor, tum Genitivum, tum Accuſativum poſtulat. Terent in Eunuch. *Faciam ut huius loci, dieique meique ſemper memineris.* Cicer. de Sen. *Omnia, quæ curanti ſenes, meminerunt.*

Lib. 11. cap. 12. Ibidem. Pro Mentionem facio, cum Genitivo, vel Ablativo cum præpoſitione De jungitur. Quinctil. *Neque omnino huius rei memini uſque Poeta.* Idem : *De quibus multi meminerunt.*

D A-

## DATIVUS POST VERBUM *Neutrum.*

I.

VErba neutra, quæ Auxilium, Commodum, Incommodum, Favorem, Studium ſignificant. Dandi caſum poſtulant. 2. Ordo.

Ut, *Subvenio, commodo, incommodo. Succurro, conſulo, provideo, doleo, faveo tibi, ſtudeo philoſophiæ.*

Cicer. in Verr. *Homini jam perdito, & collum in laqueum inſerenti ſubveniſti* Cicero de Orat. *Cùm ita balbus eſſet Demoſthenes, ut ejus ipſius artis, cui ſtuderet, primam litteram non poſſet dicere profecit meditando, ut nemo planius eo locutus putetur.* Lib. 6. Lib. 1.

II.

Dativo item adhæret verbum Sum, cùm Habere ſignificat, & ejus compoſita, ut, *Summa mihi tecum neceſſitudo eſt.* Cicero: *Contemnuntur ii, qui nec ſibi, nec alteri proſunt, ut dicitur, in quibus, nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt.* Idem: *Abeſt enim hiſtoria litteris noſtris.* Off. 2. De leg. 1.

III.

Multa præterea, quæ Obſequium, Obedientiam, Submiſſionem, Repugnantiam ſignificant, ut Inſervio, Indulgeo, Obedio, Auſculto, Servio, Cedo, Obſto, Repugno.

Cicer. de Amicit. *Sed obſequium multò moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum fieri ſinit.*

Idem de Provinciis Conſ. *Non parebo dolori meo, non iracundiæ ſerviam.* Idem pro Milon. *Miloni facinoris ſuſpicio, non facti crimen obſtat.* Idem pro Syl. *Ego verò quibus ornamentis adverſor tuis? aut cui dignitati veſtræ repugno?*

## I V.

Multa denique compoſita ex verbis Neutris, & præpoſitionibus Ad, Con, In, Inter. Ob, Præ Sub, Dativum admittunt, Ut *Aſſurgo*, *Convivo*, *Immineo*, *Illacrimo*, *Intervenio*, *Præluceo*, *Succumbo.* Cicero in Piſon. *Quis tibi paruit? quiſnam in curiam venienti aſſurrexit?* Quinct. lib. 1. cap. 1. *De omnibus ætatis ſuæ, quibuſque connivebat, ſilentium egit.* Cicero in Sall. *Ego meis maioribus virtute præluxi.* Cicero pro domo ſua: *Impendebat direptio, imminebat tuus furor omnium ſortunis.* Sveton. *Juſtis ſuppliciis illacrimavit etiam, & ingemuit.* Livius 1. ab Urb. *Huic orationi Servius cum interveniſſet.* Cicero pro Dejot. *Dejotarus numquam ſuccumbebat inimicis, ne ſortunæ quidem.*

---

## *NEUTRA QUÆ DATIVUM PETUNT,*
*ordine litterarum.*

MUlta ſunt verba, quæ locis communibus compræhendi minimè poſſunt. Neque ij loci, quibus uſi ſumus, placent; Nam verba quam plurima neceſſariò ſunt excipienda. Ideò viſum eſt non inutile, Neutra, quæ Dativum admittunt, litterarum ordine recenſere; non ut memoriæ mandentur, ſed ut crebriùs legantur.

### *A.*

Abſum, acclamo, accumbo, accubo, accreſco, accedo tibi, & tuæ ſententiæ, *id eſt, aſſentior.* Accedit hoc malis meis, *pro additur*, acquieſco, adſum, adhæreo, adhæreſco, allaboro, adequito, adno, adnato, affulgeo, antecedo, anteeo, anteſto, applaudo, appropinquo, arrideo, aſſiſto, aſſideo, aſſueſco, aſſurgo, aſſevero, auſculto, *pro Obedio.*

Be-

*B.*

Benecupio, benedico, benefacio, benignè facio, benevolo.

*C.*

Caveo conſulo, *pro proſpicio*, confido, conſentio, conſueſco, commodo, *pro proſum*, cedo, *pro locum do*. Conſulo tibi, *id eſt proſpicio.*

*D.*

Detraho, deſpero, deſervio, deſum, deficio, diſpliceo, diſſentio, diffido.

*E. F. H.*

Excello, Fido, Faveo, Hæreo.

*I.*

Illudo, indulgeo, inſum, inſulto, inhio, incumbo, *pro* innitor, inſervio, inſuſurro, inſiſto, ignoſco, illacrimo, incommodo, indormio, incubo, illuceo, impono, *pro decipio*, impendo, immineo, inhæreo, ingemiſco, invideo, inno, inſto, inſueſco, inſideo, intervenio, interjaceo, interſum, intercedo, *id eſt oppono me, & impedio*, interdico, *pro repugno.*

*M.*

Maledico, malevolo, malefacio, metuo amice, *ne aliquod tibi eveniat incommodum.*

*N. O.*

Nubo, noceo. Obedio, obequito, obſecundo, obſum, obtempero, obſto, obſiſto, obtrecto, obrepo, occurro, occurſo, officio.

*P.*

Placeo, parco, pareo, præſto, præſum, præcurro, præco, præcello, prælucco, præſideo, provideo, proſpicio

cio tibi, *id eſt, conſule tibi*; proficio, proſum, proximo.

*R.*

Recipio tibi, *id eſt promitto*, renuntio, *id eſt, Abſtineo, & alieno me*, reclamo, repugno, reſiſto, reſpondeo, *pro ſatisfacio.*

*S.*

Subjaceo, ſuccurro, ſuccedo, ſuccreſco, ſucclamo, ſuboleo, ſubrepo, ſuccumbo, ſubſum, ſubvenio, ſubſcribo, *id eſt, aſſentior.* ſufficio, *id eſt, par ſum*, ſervio, ſuperſum, ſatisfacio, ſtudeo, ſupplico.

*T.*

Timeo amicè, tempero, *pro abſtineo.*

*V.*

Vaco, *id eſt operam do.*

---

## APPENDICES PRIMI. *Generis.*

### I.

Lib. 6. SUm, variè cum Dativo conſtruitur: modò enim Dativum unum habet. Cic. Att. *Sed nuntiant melius eſſe ei.*

Lib. 3. Modò duos. Idem eid. *Reſpondebo primùm poſtremæ tuæ paginæ, quæ mihi magnæ moleſtiæ fuit.*

Modò Dativus pro Nominativo ponitur. Cicero de Divin. *Quod ne dubitare poſſimus, maximo eſt argumento, quod nuper contigit.*

### II.

Incumbo, cùm ad ſtudium refertur, Accuſativum cum præpoſitione In; vel Ad poſtulat.

Lib. 2. Cicero de Orat. *Quamobrem pergite, ut facitis, adoleſcentes, atque in id ſtudium, in quo eſtis, in-*

cum-

*cumbite.* Ad Planc. *Mi Plance, incumbe toto pectore* Lib. 10.
*ad laudem.*

Conſulere alicui, non eſt conſilium dare, ſed proſpicere. Cicer. in Catil. *Conſulite vobis, proſpicite* Orat. 4.
*patriæ.*

Conſulere aliquem, eſt conſilium ab aliquo petere. Cicero in Verr. *Nunc ego Judices, iam vos con-* Lib. 4.
*ſulo, quid mihi ſaciendum putetis.*

---

## *APPENDICES SECUNDI*
### *Generis.*

I.

ANtecedo, anteeo, anteſto, anteverto, attendo, præſto, præcurro, præeo, illudo, Dandi, vel Accuſandi caſum admittunt. Cicer. de Finib. *Virtus* Bell.
*tantum præſtat cæteris rebus, ut dici vix poſſit.* Livius: Mac. 7.
*Robore navium, & virtute militum Romani Rhodios præſtabant.*

II.

Interdico ſingulare eſt; nam præter Dativum, Ablativum habet. Cæſar; *Arioviſtus omni Gallia* Bell. Gal.
*Romanis interdixit.*

Item Accuſativum. Livius: *Fœminis duntaxat* Bell. Mac. 4.
*uſum purpura interdicimus.* Seneca de ira: *Statim il-* Lib. 3.
*li domum meam interdicam.*

III.

Quædam præterea Dativum ſimul, & Accuſativum admittunt: Ut, *Metuo tibi calamitatem: Invideo tibi laudem.* Auctor. ad Heren. *Ab inimico ſibi* Lib. 5.
*periculum metuebat.* Cicero Tuſc. *Ut nobis optimam naturam invidiſſe videantur.*

IV.

Verbum Poſſum, quamvis compoſitis à Sum

gene-

genere, & cognitione proximum ſit, uſu tamen alienum eſt, Ablativo enim gaudet. Cicero pro Sext. Roſc. *Apud me & amicitia, & beneficiis, & dignitate plurimùm poſſunt.* Pro eod. *Ego qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum.*

Jungitur etiam cum Accuſativo, qui tamen pro verbis Facio, & Ago, videtur regi. Idem ad Plan. *Quid enim poſſum aliud, niſi mœrere, niſi flere?*

---

## *APPENDICES TERTII*
### *Generis.*

I.

SUnt quædam verba, quæ varios caſus pro varia ſignificatione admittunt, cujuſmodi ſunt: *Auſculto, caveo, conſulo, cedo, commodo, detraho, formido, incumbo, impono, inſideo, interdico, metuo, provideo, proſpicio, recipio, reſpondeo, ſubeo, ſuccedo, ſufficio, timeo*; hæc ambigua appellantur. Exempla paſſim obvia ſunt.

Alia, eadem manente ſignificatione, varios nihilominus caſus habent; ut *Deſpero, allatro, præcedo, antevenio.*

Deficio, cum Accuſativo ſæpius, quàm Dativo jungitur.

Noceo, non ſolùm apud Plautum, ſed etiam apud Senecam, Accuſativum nonnunquam habet. Inſulto, contrà, frequentiùs Dativo jungitur, quàm Accuſativo.

Nubo, non ſolùm Dativum, ſed etiam Ablativum cum præpoſitione Cum, poſtulat. Cicero
Lib. 15. Catoni. *Quo cum eſſet nupta Regis Armeniorum ſoror.*

II.

Alia etiam caſum præpoſitionis petunt, repetita præpoſitione cujuſmodi ſunt; *Abſum; adhæreo, adhæreſco, attraho, deſpero, inſum, inſideo, inhæreo;*

appro-

*appropinquo, illudo, inſulto.* Cicero Attic. *Non ceſſat de nobis detrahere.* Lib. 11.

Idem pro Milone: *Quæ tot annos, illum in hanc Rempublicam inſultare videret, & pateretur.*

III.

Sunt præter ea, quæ ſuprà elementorum ordine enumeravimus, & alia ferè poetica: *Advigilo, adfremo, bello, certo, contendo, concurro, colludo, conſtrepo, diſſideo. Inſurgo, invigilo, inſideo, indoleo, immurmuro, inſerpo, & intercurro, lateo; Occumbo neci, morti, obambulo, obmurmuro, pugno, remurmuro, reſilio.*

Plinius ad Roma. *Certo*, more poetarum Dativo junxit in deſcriptione cujuſdam fontis. *Rigor*, inquit, *aquæ, certaverit nivibus; neque color cedit.* Lib. 8. Virg. *Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.* Eclog. 5.

---

## *ACCUSATIVUS POST VERBUM Neutrum.*

QUædam verba neutra, etiam poſt ſe Accuſativum poſtulant: Ea ferè aut ad res mutas pertinent; Ut, *Aro terram.* Aut quibus res verbi additur, ut *Vivo vitam.* Aut rei menſura, ut *Curro ſtadium.* 3. Ordo.

Alia præterea huc verba revocantur. Terent. Adelph. *Ego illius ſenſum pulchrè calleo.*

Ad res mutas pertinent: *Planto, rigo, poto, ſero, paſtino, occo, ablaqueo, vindemio, meto.*

Quibus res verbi additur: *Vivo, pugno, curro, ſervio.* Cicero contra Rull. *Cur non eoſdem curſus cucurrerunt?* Orat. 2. Plaut. milit. *Nam ego jam diu apud hunc ſervitutem ſervio.*

Res Verbi interdum Ablativo effertur. Cicer. ad Q. Frat. *Patiamur illum ire noſtris itineribus.* Lib. 3.

Quibus menſura: *Curro, decurro, eo.*

Hujuſce loci ſunt: *Ambulare longum iter. Non latum unguem, aut tranſverſum digitum ab officio di-*

*ſce-*

*ſcedere. Ire, redire viam : Perreptare uſque omne oppidum* ; ut eſt apud Terent. Adelph.

Alia verba : *Exhalo, erubeſco, crepo, calleo, doleo, horreo, ingemo, inclamo, maneo, mœreo, obſtupeſco, rore, ſono, ſudo, ſtupeo : Odi, cœpi, memini.* Cicero in Anton.
Philip. 2. *Edormi crapulam iſtam, atque exhala.* Plin. *Si rorave-*
Lib. 17. *rit quantulùmcunque imbrem.*

---

## *ABLATIVUS POST VERBUM Neutrum.*

4. Ordo. His egeo, indigeo, careo, vaco, victito, vivo,
Mano, redundo, fluo, ſcateo, pluo, ſic & abundo,
Conſto, ſuperſedeo, valeo, ſto, junge laboro,
Quem Graii ignorant caſum tribuere Latini.

Lib. 4. Cicer. Q. Frat. *Incredibile eſt, mi frater, quàm egeam tempore.*

Off. 1. Idem : *Nihil honeſtum eſſe poteſt, quod juſtitia vacat.* Plaut. Moſtel. *Victitabam parſimonia & duritia.*
Lib. 6. Plin. *Pars quædam Æthiopum locuſtis tantùm vivit fu-*
cap. 30. *mo, & ſale duratis.* Livius : *Nuntiatum eſt regi, pa-*
1. ab Urb. *tribuſque in monte Albano lapidibus pluiſſe.*

---

## *APPENDICES PRIMI Generis.*

### I.

Lib. 1. Sum, ablativum petit, ſignificantem laudem, vel vituperationem. Cicero Lentulo ; *Tu fac animo forti, magnoque ſis.* Item contra Rull. *Quem veſtrûm tam tardo ingenio fore putavit.*

Interdum Genitivum : Cicero pro Sext. *Nimiùm me timidum, nullius animi, nullius conſilii fuiſſe confiteor.* Idem ad Octav. *Antonius vir maximi animi, utinam etiam ſapientis conſilii fuiſſet.*

II.

II.

Egeo, Indigeo, etiam eaſum Interrogandi admittunt, ut ſupra monuimus. Cicer. in Ant. *Hoc bellum indiget celeritatis.* Philip. 1.

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

I.

NEutra Ablativum admittunt, ſignificantem partem. Cicer. de Orat. *Equidem & in vobis animadvertere ſoleo, & in me ipſo ſæpiſſimè experior, ut exalbeſcam in principio dicenti, & tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam.* Lib. 2.

Huc illa accedunt: *Cadere, concidere animo.* Item: *Pendere animis.*

Cùm verò ſingulari numero utimur, Genitivo locus eſt. Cic. *Ego animi pendere ſoleo, cùm ſemel quid orſus, ſi traducor alio.* 1. De leg.

II.

Hoc genere loquendi frequentiùs utuntur Poetæ, qui Ablativum etiam in Accuſativum mutare conſueverunt. Horat. *Animoque & corpore torpet.* Idem: *Tremis oſſa pavore.* Virgil. *Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus.* Epiſt. 1. Georg. 3. Satyr. 7.

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

IN verbo Sum, non ſemper quæ Ablativo efferuntur, Genitivo efferri poſſunt, cujuſmodi

ea ſunt; *Animo bono, virili, præſenti, vacuo eſſe.*

Item illa; *Capite, ſuperciliis, ſemper eſt raſus: Mira ſum alacritate ad litigandum.*

Alia contra, Genitivo potiùs, quàm Ablativo efferuntur. Terent And. *Nullius conſilii ſum.* Svet. in Aug. *Cibi minimi erat, ac ferè vulgaris.*

II.

Sto, pro Obtemperare, aſſentiri, fidem habere hærere, perſiſtere, eleganter jungitur cum Ablativo. Cic. pro Flac. *M. Gratidius, ad quem aditum, actionem ſe daturum negavit, re judicata ſtari oſtendit placere.*

Hinc ſunt illæ locutiones; *Stare decreto, pacto, jureiurando, promiſſis*, Huc accedunt & illæ: *Abire magiſtratu, conſulatu. Cedere patria, urbe, domo.*

III.

Tuſc. 3. Conſto, & Laboro frequentiſſimè præpoſitionem Ex admittunt. Cicero; *Cùm conſtemus ex animo, & corpore.* Idem in Orat. *Actio conſtat è voce, at-*

Lib. 1. *que motu* Quo modo ferè loquitur ipſe Cicero. *La-*

cap. 2. *borare ex deſiderio, ex renibus, ex pedibus, ex inteſtinis, ex invidia.*

IV.

Careo, Abundo, Scateo, apud veteres etiam cum Genitivo jungebantur. Terent. Heaut. *Tui carendum erat.* Lucil. *Quarum abundamus rerum.* Gali. *Irarumque ſcatebat.*

---

*ABLATIVUS CUM PRÆPOSITIONE poſt Neutro paſſiva.*

VApulo, Veneo, Fio, ut paſſionem ſignificant, ita paſſivorum more conſtruuntur.

Quin-

Quinctil. *Rogatus an ab eo fuſtibus vapulaſſet.* Lib. 9.
Idem. *Fabricius reſpondit, à cive ſe ſpoliari male,* Lib. 1.
*quam ab hoſte venire.* Cicero Tiron. *Quantam dili-* Lib. 6.
*gentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te judicabo.*

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

I.

Fio, eleganter cum Ablativo jungitur ſine præpoſitione, ſed alia ſignificatione. Terent. And. *Nunc primum audio, quid illo factum ſit.* Ibid. *Quid me fiet?* Conſtructio hæc figurata eſt, deeſt enim præpoſitio De, quæ tamen raró adhibetur. Cicero
Attic. *Quid illo fiet, quem reliquero? quid de me au-* Lib. 6.
*tem, ſi non citò decedo?*

II.

Participium Futurus, eodem ſenſu, eundem caſum poſtulat. Teren. Heaut. *Quid me futurum cenſes?*

Et cum Dativo Cicero in Anton. *Vide quæſo An-* Philip. 2.
*toni, quid tibi futurum ſit.* Plaut. Bacch. *Quid mihi fiet poſtea?*

III.

Verbum Facio, eodem modo uſurpatur à doctis. Phil. 3.
Cicer. in Verr. *Quid hoc homine faciatis, aut ad quam ſpem tam perfidioſum, tam importunum animal re-*
*ſervetis?* Idem: *Diodoro quid faciam Stoico?* Idem pro Acad. 4.
Cæcin. *Quid tu huic homini facias?*

Exulo, & Licco prætermiſimus, quòd nondum ea cum Ablativo perſonæ agentis legerimus.

# CONSTRVCTIO VERBI COMMUNIS.

## *ACCUSATIVUS, VEL ABLATIVUS*

*Cum præpoſitione, poſt verba communia.*

COmmunia verba, Activa ſignificatione, leges activorum ſequuntur.

Cicero in Verr. *Verres Siciliam per triennium depopulatus eſt.*

Lib. 7. Paſſiva verò ſignificatione, paſſivorum more
Dec. 4. ſextum caſum admittunt. Livius: *Omnis ora mari-*
Apud *tima ab Achæis depopulata eſt.* Cicero ad Nepot. *Hoc*
Priſc. 8. *reſtiterat etiam, ut à te fictis aggrederer donis.* Ver-
Epiſt. 91. tius Flacc. *Sævitiaque eorum ab omnibus abominaretur.* Idem: *Qui habet, ultro appetitur, qui eſt pauper, adſpernatur.* Varro apud Priſcian. *Ab amicis hortaretur.*

## *APPENDICES PRIMI*

*Generis.*

### I.

PArticipia Dimenſus, Populatus, Expertus; Meditatus, uſitata ſunt: cætera ferè inuſitata. Cic. de Senect. *A quo eſſent illa dimenſa, & de-*
Lib. 5. *ſcripta.* Livius: *Amicum ab ipſo per tot caſus exper-*
Dec. 5. *tum.* Cic. *Provinciam à Verre depopulatam dico.*

Non-

### II.

Nonnunquam Dativum pro Ablativo habent. Terent. in Phormione, *Meditata ſunt mihi omnia mea commoda.*

### *ADMONITIO.*

Tirones, maximè præſenti tempore, & imperfecto, à verbis communibus ſignificatione paſſiva, quoad ejus fieri poterit, abſtinebunt: participiis utantur licebit iis, quæ à claſſicis auctoribus uſurpata repererint. Hæc enim teſtimonia, non tam eorum cauſa, quàm in veteranorum gratiam allata ſunt; quibus, pro ſua prudentia, & eruditione, an ſit utendum, judicabunt.

## CONSTRUCTIO VERBI DEPONENTIS.

### *GENITIVUS poſt VERBUM Deponens.*

MIſereor, Obliviſcor, Recordor, Reminiſcor, 1. Ordo.
poſt ſe Genitivum caſum adſciſcunt.
Cicero Attic. *Qui miſereri mei debent, non deſi-* Lib. 4.
*nunt invidere.* Idem; *Eſt proprium ſtultitiæ, alio-* Tuſc. 3.
*rum vitia cernere, obliviſci ſuorum.* Idem pro Plan- Bell.
cio: *Hujus meriti in me recordor.* Cæſar. *Sin bello* Gal. 1.
*perſequi perſeveraret, reminiſceretur, & veteris incommodi Romanorum, priſtinaque virtutis Helvetiorum.*

## *APPENDIX PRIMI Generis.*

I.

OBliviſcor, Recordor, Reminiſcor, etiam Accuſativum poſtulant. Cicer. in Ant. *Omnia obli-*
Phil. 8. *viſcor, in gratiam redeo.* Idem in Rull. *Eſt operæ præ-*
Orat. 2. *tium maiorem diligentiam recordari.* Sulpit. Cic. *Ea po-*
Lib. 4. *tius reminiſcere, quæ digna tua perſona ſunt.*

II.

Recordor, item cum Ablativo, & præpoſitione De, jungitur. Cicero pro Planc. *Quoniam iſtis veſtris lacrymis de illis recordor, quas pro mea ſalute ſæpè, & multùm profudiſtis.*

---

## *DATIVUS POST VERBUM Deponens.*

1. Ordo. VErba Deponentia, quæ Auxilium, Adulationem, Commodum, Incommodum, Favorem, Studium ſignificant, Dandi caſum poſtulant.

Cicero; *Nihil poſſum tibi opitulari.* Ovid. *Tibi blandior uni.*

Huc pertinent. *Adnaſcor, adverſor, adulor, adſtipulor, aſſentior, auxilior. Famulor, grator, gratulor, gratificor. Illacrimor, immorior, inſidior, iraſcor, innitor. Lenocinor. Morigeror, medicor, medeor, moderor: Obſequor, oborior, obnitor, obloquor, obiraſcor, obverſor, opitulor. Patrocinor, præſtolor. Reluctor, refragor. Suffragor.*

Et ſi quæ alia ex Ad, Con, In, Ob, Sub, compoſita. Cicer. 3. de Nat. Deor. *Quid dicam de Socrate; cujus morti illacrymari ſoleo, Platonem legens?*

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

I.

PRæſtolor, Adulor, Medicor, etiam Accuſativo junguntur. Terent. Eunuch. *Quem præſtolare hic Parmeno?* Cicero; *Cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus.* Plaut. Moſtell. *Ego iſtum lepidè medicabor metum.* Off. 1.

II.

Aſſentior, & Indignor, cum Accuſativo rei junguntur.

Terent. Eunuch. *Poſtremò imperavi egomet mihi omnia aſſentari:* Quinctil. *Quidam indignantur imperia, quoſdam continet metus.* Lib. 6.

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

DOminor, ſæpiùs habet Ablativum, vel Accuſativum cum præpoſitione In, quàm Dativum. Cic. pro Cæcin. *Denique nimia iſta, quæ dominatur in Civitate potentia, in hoc ſolo genere quieſcit.*

Idem de Senect. *Senectus honeſta eſt, ſi uſque ad extremum ſpiritum dominatur in ſuos.* Claud. *Toti dominabere mundo, Si parere velis.* Lib. 1. in Ruff.

---

## *ACCUSATIVUS POST VERBUM Deponens.*

QUàm plurima Verba Deponentia poſtulant poſt ſe Accuſandi caſum. 3. Ordo.

Lib. 9. Cicer. Att. *Hi quidem mera ſcelera loquuntur.* Cæ-
Bell. ſar. *Non minorem laudem exercitus, quàm ipſe Impe-*
Gal. I. *rator meritus eſſe videbatur.*

*Qualia ſunt ordine Alphabetico.*

*A.*

Abominor, adipiſcor, adorior, admiror, ădmetior, æmulor, aggredior, alloquor, architector, aſſequor, aſpernor, auguror, auſpicor, aucupor, adverſor.

*C.*

Caluminor, comitor, commentor, commercor, comminiſcor, conſolor, conſequor, contemplor, cohortor, confiteor, conſpicor, conqueror, conſector, conteſtor, contueor, conor.

*D.*

Demereor, demoror, demolior, demetior, demiror, deprecor, depeculor, deteſtor, dignor, diffiteor, dilargior, diſpartior.

*E.*

Emetior, ementior, eloquor, execror, exſequor, exhortor, exordior.

*F.*

Fabulor, fateor, fabricor, fœneror, fruſtror, furor.

*H. I.*

Hortor, helluor. Jaculor, imitor, imprecor, impertior, inficior, inſequor, inſector, intueor.

*L.*

Lamentor, loquor, lucror, ludificor.

*M.*

Machinor, medeor, meditor, mentior, mercor,

mereor, metior, minor, miſeror, moderor, molior, moror, muneror, mutuor.

N.

Nanciſcor, nundinor, nutricor.

O.

Obliviſcor, obteſtor, ominor, opinor, operſor; ordior.

P.

Patior, paciſcor, partior, percontor, periclitor; *hoc eſt experior*, perſequor, pigneror, polliceor, populor, precor, præmeditor, præſtolor, profiteor, proſequor.

Q. R.

Queror. Rimor, recordor, reor, remuneror.

S.

Scitor, ſciſcitor, ſcrutor, ſequor, ſpeculor, ſolor, ſuſpicor.

T.

Teſtor, teſtificor, tueor, tutor.

V.

Veneror, vereor, ulciſcor.

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

MEreri bene, vel malè de aliquo, eſt ei commodare, vel incommodare. Cicero Lentulo; *Erat infinitum bene de me meritos omnes nominare.* Idem pro Milon. *Non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſimi non male aliquando de me meriti, ſed optimè.* Lib. II.

II.

Precor, etiam cum Ablativo jungitur. Cicero pro L. Muræn. *Quæ precatus ſum a Diis immortalibus.* Idem de amicit. *Precari amicos ab indigno.*

---

## *ACCUSATIVUS CUM DATIVO* *poſt verbum Deponens.*

4. Ordo. QUædam Verba Deponentia, præter Accuſativum, Dativum admittunt, ut, minor, minitor tibi mortem, tormenta.

Phil. 10. Cicer. in Anton. *Græcia tendit dextram Italiæ, ſuumque & præſidium pollicetur.*

Sic largior, loquor, admetior, remetior, aſſentior, furor, grator, gratulor, gratificor.

## *APPENDIX*

Furor, etiam Ablativum cum præpoſitione A, vel Ab, recipit. Cicero Att. *Si ego tuum ante legiſſem, furatum me abs te eſſe diceres.*

Lib. 1.
Lib. 12. cap. 14. Et Dativum pro Ablativo. Plin. *Nemo furatur alteri.*

---

## *ACCUSATIVUS CUM ABLATIVO* *poſt verbum Deponens.*

5. Ordo. SUnt Verba Deponentia, quæ, præter Accuſativum, Ablativum ſine præpoſitione poſcunt, cujuſmodi ſunt: *Dignor, Muneror, Remuneror, Proſequor*, quod refertur ad animi affectionem, ut *Proſequor te amore, benevolentia, &c.*

Æn. 1. Virgil. *Haud equidem tali me dignor honore.* Cicero

Lib. 9. Varron: *Ut poſſem te remunerari quam ſimillimo munere.*

AB-

## *ABLATIVUS CUM PRÆPOSITIONE*
### *præter Accuſativum, poſt Verbum Deponens.*

DEponentia quædam verba, præter Accuſativum, Ablativum cum præpoſitione A, vel Ab, poſtulant, Ut, *Percontor*, *ſcitor*, *ſciſcitor*, *mercor*, *deprecor*. Cic. pro Sulla. *Quam multorum hic vitam eſt à L. Sulla deprecatus.* Idem in Verr. *Jam, qui tot ſcelera commiſit, is nullam à ſeſe calamitatem poterit deprecari.* Auctor ad Heren. *Ab adverſariis percontatur accuſator, quid futurum ſit.* Ovidius: *Scitatur ab ipſa, nominibus dictis, cujus velit eſſe mariti.*

7. Ordo.

Lib. 1. Metam. 10.

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

PErcontor, Sciſcitor, & Scitor, etiam Ablativum cum præpoſitione Ex admittunt. Cicero de Clar.orat. *Cùm Theophraſtus percontaretur ex anicula, quanti illud venderet?* Idem de Nat. Deor. *Epicuri ex Vellejo ſciſcitabor ſententiam.* Horat. *Scitari libet ex ipſo quodcumque refert.* Plaut. Aulul. *Secede huc, nam ſunt, quæ ex te ſcitari volo.*

Lib. 3. Epiſt. 1.

---

## *ABLATIVUS SOLUS POST VERBUM*
### *Deponens.*

VErba denique Deponentia quædam, poſt ſe Ablativum tantùm poſtulant; Ut: 7. Ordo.
Glorior, obiector, lætor, veſcorque, fruorque,
Delector, potior, fungorque, periclitor adde;

Hæc

Hæc tria ne ſpernas, nitor, defungor, abutor.

Cicero pro Sext. Roſc. *Commoda, quibus utimur, lucem, qua fruimur, ſpiritum, quem ducimus à Deo*
Lib. 6. *nobis dari, atque impertiri videmus.* Quinctil. *Si aut*
cap. 1. *ſtatu periclitari, aut opinione, litigator videtur.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

POtior, frequentiſſimè cum Genitivo jungitur etiam pro Frui, Tenere, & interdum Vincere.
Lib. 1. Cicero Lentul. *Otium nobis exoptandum eſt, quod ij, qui potiuntur rerum, præſtaturi videntur.* Idem eidem: *Si exploratum tibi ſit, poſſe illius regni potiri.* Idem: *Nullas etiam conſequuntur voluptates, quarum potiundi ſpe inflammati, multos labores, magnóſque*
Ibidem. *ſuſceperunt.* Salluſt. *Romani ſignorum, & armorum*
De Fin. 1. *potiti ſunt.* Idem in Catil. *Cui fatum foret urbis potiri.*
In Jugur.

II.

Potior, Veſcor, Fungor, non recuſant Accuſandi caſum. Terent. Adelph. *Ille alter, ſine labore, patria potitur commoda*, Plinius: *Aves nonnullæ ve-*
Lib. 10. *ſcuntur ea, quæ rapuere pedibus.* Terent. Adel. *Neque*
cap. 3. *boni, neque liberalis functus officium eſt viri.* Idem Heaut. *Hæc ego præcipio tibi, hominis frugi, & temperantis functus officium.*

Item, Utor apud Priſcos. Plaut. Caſin. *Cætera, quæ volumus uti, Græca mercamur fide.*

Abutor autem apud Comicos ſæpiſſimè Accuſativum habet. Terent. Prolog. And. *Nam in prologis ſcribendis operam abutitur.*

III.

Periclitor, cum ad periculum, diſcrimenque re-

refertur, Ablativum poſtulat. Martial. *Periclitatur capite Sotades noſter.* Lib. 6.

Cùm verò experiri ſignificat, Accuſativum petit. Cicero pro Quintio. *Omnia circumſpexit Quintius, & omnia periclitatus eſt.*

## IV.

Nitor, Glorior, præpoſitionem In, interdum admittunt. Cicero pro Milon. *In ejus vita nititur ſalus Civitatis.* Idem de Nat. Deor. *Propter virtutem jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur.*

Et DE; Idem in Vatin. *De tuis divitiis intoleranſiſſimè gloriaris.* Lib. 2.

# CONSTRUCTIO
## VERBI IMPERSONALIS.

VErbum Impersonale finiti modi, tam activæ, quàm paſſivæ vocis, antecedit Nominativus ſingularis, non rarò etiam pluralis, apertè vel occultè, ejuſdem numeri, & perſonæ. 1. Ordo.

*Activum.*

Horat. Ode 1. *Multos caſtra juvant.* Idem de Arte Poet. *Triſtia mœſtum vultum verba decent*, Idem. *Parvum parva decent.* Cicer. 1. Offi. *Aliena non decent eum.* Terent. in Heaut. *Hæc facta ab illo oportebant.*

*Neutrum.*

Cicero Att. lib. 3. *In Epirum ſtatui me conferre, non quod mea intereſſet loci natura.* Plaut. in Perſa. *Ex puella percontari volo, quæ ad rem referunt*, id eſt, *pertinens.* M. Var. lib. 1. Re. Ruſtic. *Hæc varietas maximè refert.* Cicero de Finib. *Illis ad lar-*

gien-

*giendum ſuppetunt copiæ.* Idem; *Neque enim infanti, aut impotenti injuſtè facta conducunt.* Svet. in Cal. Cæſar. *Cætera, quæ cuique libuiſſent.*

Vel membrum orationis loco Nominativi.

Quinctil. Decla. 6 *Contigit mihi, quod cæteris miſer-*
Philip. 7. *rimum eſt, filium efferre.* Cicero; *Irritari Antonium non oportuit,* Idem 1. de Orat. *Tardi ingenii eſt rivos conſectari, fontes rerum non videre.* Idem: *Utriuſque noſtrum magni intereſt, priùs ut te conveniam, quam decedas.*

*Paſſivum.*

Ovidius; *Noctes vigilantur amaræ.* Salluſt. *Prælium malè pugnatum eſt à ſuis.* Cicero pro Muræn. *Pugna cum Rege ſumma contentione pugnata eſt.* Sed de paſſivis infrà agetur.

Excipiuntur *Miſeret, Miſereſcit, Pœnitet, Pudet, Piget, Tædet,* quibus figurata conſtructio, & melior uſus, Nominativum jam denegavit.

Præterea Neutra paſſivæ vocis complura, ut *Itur, Studetur, Caletur, Caretur, Manetur, Vacatur, &c.* Sed maximè in præteritis. *Sævitum eſt, Servitum, Laboratum, Manſum, Ventum eſt, &c.* quorum Nominativum non patitur Latini ſermonis conſuetudo, ut in publicum prodeat, ſed ut tantùm intelligatur talis, vel ſimilis: *Itio, ſtatio, pecunia, egeſtas, manſio, labor, calor, ventio, &c.* Gellius lib. 10. cap. 14. ex Caton. *Contumelia mihi factum itur.*

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

### I.

IMperſonalia quædam abſolutè ponuntur. Cicero de Divinat. *Si fulſerit, ſi tonuerit.* Sic *Ningit, pluit, fulgurat, grandinat.*

## II.

Interdum Nominativus additur, vel rés verbi, ut *grando, pluvia*, vel *Deus*, *aut Natura*. Nonnunquam etiam alii caſus Nominandi præcedunt Virg. Georg. 4.
*Nec de concuſſa tantum pluit Illice glandis.*

## III.

Pluit, Accuſativum, aut Ablativum non reſpuit. Bell.
Livius: *Sanguinem pluiſſe per biduum in area Con-* pun. 2.
*cordiæ ſatis credebant.* Idem: *Nuntiatum eſt, in monte* Lib. 10.
*Albano lapidibus pluiſſe.*

---

## *GENITIVUS POST VERBUM*
### *Imperſonale.*

EST, Intereſt, & Refert, cùm officium, atque 2. Ordo.
ad rem pertinere ſignificant, poſt ſe Geniti-
vum petunt. Cicero: *Sapientis eſt proprium, nihil* Tuſc. 5.
*quod pœnitere poſſit, facere.* Idem ad Q. Frat. *Hoc ve-* Lib. 2.
*hementer intereſt Reipublicæ.* Idem: *Intereſt Reipu-* De Fin. 2.
*blicæ.* Idem: *Intereſt omnium rectè facere.* Quinctil. Lib. 9.
*Plurimum refert compoſitionis, quæ quibus anteponas.* cap. 4.

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

## I.

INtereſt, & Refert, hos Ablativos habent; Mea, tua, ſua, noſtra, & veſtra, Cicero Tiron. *Et* Lib. 16.
*tua, & mea maximè intereſt te valere.* Terent. in Hecyra. *Tua, quod nihil refert, percontari deſinas.*

## II.

Cuja, vel Cujus intereſt, pereleganter dicitur. Ci-

Philip. 1. cero pro Varen: *Ea cædes, ſi potiſſimum crimini datur, detur ei, quia interfuit; non ei, quia nihil interfuit.* Idem in M. Anton. *Quis enim eſt hodie, cujus interſit iſtam legem manere.*

## II.

Verbum Eſt, pro Ablativis Mea, tua, ſua, noſtra, veſtra, habet Meum, tuum, ſuum, noſtrum,
Lib. 6. veſtrum. Cicero Cæcin. *Puto eſſe meum, quid ſen-*
De Fin. 2. *tiam, exponere.* Idem: *Si memoria fortè defecerit,*
Faſt. 4. *tuum eſt ut ſuggeras.* Ovid. *Nulla mora eſt operi, veſtrum eſt dare, vincere noſtrum.*

---

## APPENDICES SECUNDI
### Generis.

## I.

MAgnum, Parvum, Tantum, Quantumq; jungitur in Genitivo cum verbis Intereſt,
Lib. 1. & Refert. Cicero Attic. *Permagni noſtra intereſt, te*
Lib. 2. *eſſe Romæ.* Idem ad Q. Frat. *Parvi refert abs te ipſo tus dici.*

Cætera hujuſmodi per adverbium adduntur, ut *Plurimùm intereſt, Maximè refert, Nihil intereſt.*
Tuſc. 1. Cicer. *Theodori nihil intereſt, humine, an ſublimè putreſcat.*

Hujus claſſi ſunt: *Parum, paululum, aliquantulum, multùm, permultum, magis, maximè, minùs, minimè, nihil, aliquid, vehementer, tantoperè, magnoperè, infinitum, tantulum, plùs, plurimum, &c.*

Lib. 6. cap. 30. Plinius: *Infinitùm refert lunaris ratio.*

## APPENDICES TERTII
### Generis.

### I.

VErbum Intereſt, loco Genitivi, poteſt Accuſativum cum præpoſitione Ad, recipere. Cicer. Lucejo; *Equidem ad noſtram laudem non multùm video intereſſe.* Idem Tiron. *Magni ad honorem noſtrum intereſt, quàm primum me ad urbem venire.* Lib. 5. Lib. 16.

### II.

Quantum pro quanti, apud Ciceronem invenies. Pro Muræna. *Oſtendam aliò loco, quantùm ſalutis communis interſit.* Et pro Milon. *Semper Milo, quantùm intereſſet P. Clodii, ſe perire, cogitabat.* Lib. 2. cap. 16.

Sic, tantum intereſt, apud Plinium; *Tantum intereſt, ſubeant radii, an ſuperveniant.*

---

## DATIVUS POST VERBUM
### Imperſonale.

DAndi caſum deſiderant, quæ eventum ſignificant. Ut, *Accidit, cadit, contingit, evenit, obvenit, obtingit:* Sic, *Incidit, cedit, ſuccedit, benè vertit, male vertit, uſuvenit.* Cicero de Senect. *Si id culpa ſenectutis accideret, eadem mihi uſuvenirent.* 3. Ordo.

Cicero ad Q. Frat. *A te mihi omnia ſemper honeſta, & jucunda ceciderunt.* Idem in Verr. *Sorte provincia Sicilia Verri obvenit.* Lib. 1. Lib. 4.

Idem: *Quod cuique obtigit, id quiſque teneat.* Off. 1.

Virgil. *Quis ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus alte Contigit oppetere.* Æn. 1.

Lib. 7. Item Libet, licet, liquet, expedit, & quæ ſunt generis ejuſdem. Terent. Adelph. *Facite, quod vobis li-*
Acad. 4. *bet.* Cicer. in Verr. *Non idem mihi licet, quod iis, qui nobili genere nati ſunt.* Idem; *Si habes quod tibi liqueat, neque reſpondes, ſuperbis.*

Hujus generis ſunt: *Conducit, convenit, competit, conſtat, dolet, ſuppetit, ſuperat,* pro ſuppetit, *& ſuppeditat,* pro ſuppetit, *præſtat, placet, reſtat, ſtat, ſedet,* pro placet, *inceſſit, accedit, confert, patet, vacat, venit in mentem.*

---

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

### I.

Lib. 1. INceſſit Dandi, vel Accuſandi caſum admittit.
Lib. 7. Livius: *Gravior cura inceſſit Patribus.* Idem: *Ti-*
Acad. 4. *mor inceſſit Livium*

Multò autem frequentiùs cum Accuſativo legitur.

### II.

Accidit, contingit; evenit, uſu venit, & alia ejuſdem generis, apud Oratores ferè infinitũ reſpuunt: Conjunctivo cum particula Ut, gaudent. Cicero Curt. *Si ei contigiſſet, ut te antè videret, quam è vita diſcederet.* Idem de Orat. *Forte evenit, ut in Priver-*
Lib. 2. *nati eſſemus.* Idem: *Sed ex eo credo quibuſdam uſu-*
De Fin. 2. *venire ut abhorreant à Latinis.*

---

## *ACCUSATIVUS POST VERBUM Impersonale.*

DEcet, dedecet, juvat, delectat, exigunt poſt ſe Accuſandi caſum.

Cicero in Brut. *Decet hoc illum, neſcio quomodo.* Seneca: *Te omnia dedecent.* Plin. *Juvabit hoc te.* Cicer. *Me ſtatus hic Reipublicæ non delectat.* Plin. *Juvat me, quòd vigent ſtudia.* Cicero: *Oratorem iraſci minimè decet, ſimulare non decet.* Virgil. *Non omnes arbuſta juvant, humileſque myricæ.* Cicer. ad Q. Frat. *Litteræ tuæ me incredibiliter delectaverunt.*

Lib. I. de ben. Lib. 9. Fam. I. Epiſt. 13 Tuſc. 4. Eclog. 4.

## II.

Decet etiam Dandi caſum habet. Teren. Adelph. *Imò herclè ita nobis decet.* Plaut. Amph. *Iſtuc facimus, quo tu inſimulas, noſtro generi non decet.*

---

## APPENDIX TERTII *Generis.*

VErbum Oportet, cum his quidam conjungunt, quaſi verò Accuſativum poſt ſe poſtulet, cum verbum ſit abſolutum; quem enim habere videtur, ad verbum infinitum ſpectat, quod modò apertè, modò occultè intelligitur, ut, *Hoc te non oportuiſſet facere, ſurripuiſſe, &c.*

---

## ACCUSATIVUS CUM GENITIVO *poſt Imperſonale.*

MIſeret, Miſereſcit, piget, pœnitet, pudet, tædet, Genitivum habent cum Accuſativo. 5. Ordo.

Plaut. Trinum: *Miſeret te aliorum, tui te nec miſeret, nec pudet.* Terent. Heaut. *Inopis nunc te miſereſcat mei.*

Cicero pro Planc. *Vide, quàm me verbi tui pœniteat.* Teren. Adelph. *Fratris me quidem, pudet, pigetque.* Cicer. Att. *Quid quæris? tædet omnes nos vitæ.*

## APPENDICES TERTII *Generis.*

### I.

QUinque hæc verba videntur quondam fuiſſe Deponentia; cui rei argumento eſt carmen Turpilii apud Nonium.

*Quam matris, nunc patris me miſeretur magis.*
Lib. 20. cap. 5. Quadrigarius apud Gell. *Cai Mari, ecquando te noſtrum, & Reipublicæ miſerebitur?* Cicero: *Commune eſt, quod omnes vulgò probarunt, & ſequuti ſunt,*
De Jun. 1. *huiuſmodi eſt, ut maioribus natu aſſurgatur, ut ſupplicum miſereatur.*

Unde adhuc illa extant; *Miſertum eſt, Pigitum eſt, Puditum eſt, Pertæſum eſt.* Plaut. Trinum: *Nam nunc eum vidi miſerum, & me eius miſertum eſt.* Statius; *Nec pigitum, parvolque lares, humileſque*
Lib. 7. cap. 7. *ſubire.* Sveton. in Cæſar. *Et quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quod nihil dum à ſe memorabile actum eſſet.*

Pacuvius eodem modo utitur verbo Vereor. *Nihilne te populi veretur.*

### I I.

Lib. 8. Priſcianus docet in ipſis verbis Nominativum latere, verbi cauſa; *Pudet me tui*, hoc eſt: *Pudor me habet tui. Miſeret me tui, Miſeratio me habet tui.*

Crediderim potiùs verba hæc figuratè Genitivum habere pro Nominativo: nam juſta, & recta conſtructio eſt hæc Plautina in Sticho; *Et me quidem hæc conditio nunc non pænitet*: Figurata verò; *Pænitet me huius conditionis*: Juſta jam exolevit, atque in ejus locum figurata ſucceſſit. Huic locutioni ſimilis eſt illa; *Venit mihi in mentem Pompeii,*
DeFin. 5. pro, *Pompejus.* Cicer. *Venit enim mihi Platonis in mentem, quem accepimus hic diſputare ſolitum*, pro, *Plato.*

III.

Hæc verba priſcis temporibus integra fuiſſe, omnibuſque perſonis, numeriſque abſoluta, docent non obſcura veſtigia.

Ennius Hecub. *Miſerete manus, date ferrum, ut*
*me anima privem.* Virgil. *Arcadii quæſo miſereſcite* Æn. 2.
*Regis.* Plaut. Menæch. *Adoleſcens, quæſo loquere*
*tuum mihi nomen, niſi piges.* Idem Caſin. *Ita nunc*
*pudeo, atque ita nunc paveo.* Terent. Adelph. *Non*
*te hæc pudent?* Idem: *Ne plus, minuſve faxit, quod*
*nos poſtea piget.*

---

## *ACCUSATIVUS cum PRÆPOSITIONE poſt Imperſonale.*

HÆc tria Imperſonalia, Attinet, Pertinet, Spe- 6. Ordo.
ctat poſt ſe Accuſandi caſum poſtulant cum
præpoſitione Ad.
Cicero pro Sext. Roſc. *Hoc ad me nihil attinet.*
Idem: *Ad rem pertinet, quomodo cælo affecto, quodque* De div. 2
*animal oriatur.* Cæſar. *Ea quæ ad uſum navium pertinerent.* Cicer. *Beneficia, quæ ad ſingulos ſpectant.*

---

## *VERBUM IMPERSONALE Paſſivum.*

SUnt etiam verba Imperſonalia Paſſiva, quæ
tertia perſona contenta ſunt. Hæc præcedit
Nominativus; ſi Activa ſequatur Accuſativus;
ut *Dormio totam hyemem.* Martial. *Tota mihi dormi-* Lib. 13.
*tur hyems. Nunc tertiam vivo ætatem.* Ovid. *Nunc* Met. 12.
*tertia vivitur ætas.*
Quod ſi in activis lateat Accuſativus, latebit Bell.
etiam in paſſivis Nominativus. Cæſar. *Noſtri mili-* Gall. 4.

*lites ampliùs quatuor horas fortiſſimè pugnaverunt: A noſtris militibus ampliùs horis quatuor fortiſſimè pugnatum eſt.*

Interdum uterque caſus apparet; Plaut. Pſeu. *Priuſquam iſtam pugnam pugnabo, ego etiam priùs dabo aliam pugnam.* Cicero pro Muræn. *Ex omnibus pugnis, quæ ſunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quæ cum rege commiſſa eſt, & ſumma*
In Jugur. *contentione pugnata.* Salluſt. *Quæ negotia multo magis, quàm prælium malè pugnatum à ſuis, regem terrebant.*

Poſt ſe Ablativum ſingularis, vel pluralis numeri cum præpoſitione A, vel Ab, exigunt.

Lib. 6. Cicero ad Appium; *Nihil eſt à me inſervitum*
Lib. 1. *temporis cauſa.* Idem Lentul. *Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum eſt.*

Hic caſus ſæpe numerò tacetur. Plaut. Pſeud. *Quid agitur? P. Statur hic, ad hunc modum.* Idem in Perſa. *Quid agitur? vivitur.*

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

I.

HÆc verba paſſivorum conſtructionem omnino ſequuntur. Modò enim Dativum habent. Martial. *Tota mihi dormitur hyems.*

Lib. 13. Modò Accuſativum cum præpoſitione Per. Ci-
Verr. 4. cero: *Confirmabit is, curaturum ſe eſſe, ne quid ei per filium noceretur.*

Off. 1. Item ſervatur caſus activi. Idem: *Occurritur autem nobis, & quidem à doctis, & eruditis.*

II.

Cæterum ab Activis tum demum fiunt imperſonalia, cùm voce activa abſolutè ponuntur, quod verbis Amo, Turbo, Aro, & Pugno potiſſimùm

accidit. Terent. Adelph. *Cur perdis adoleſcentem no-* Lib. 3.
*bis? cur amat?* Tacitus. *Si una alterave Civitas turbat.*

Hinc paſſivum fit. Idem : *Poſtquam turbatum in* Lib. 1.
*caſtris accepere.* Terent. Eunuch. *Neſcio, quid profe-*
*ctò abſente nobis turbatum eſt domi.*

---

## *APPENDICES TERTII*
### *Generis.*

I.

MUlta, quæ hodie ſunt Abſoluta, aut Neutra apud priſcos fuere Activa. Turpil. apud Nonium : *Meos parentes careo,* Afranius apud eund. *Male merentur de nobis heri; qui nos tantoperè indulgent.*

Vide Arcaiſmum: *Sic evigilo, feſtino, propero, etiam*
*apud poſteros.* Ovidius. 1. Triſt.

*Aſpicies illic poſitos ex ordine fratres,*
*Quos ſtudium cunctos evigilavit idem.* 2. Met.

Idem : *Jam quæ induat illa, Feſtinas veſtes.* Plaut. Penul. *Quidquid agit properat omnia.*

Unde paſſiva etiam fiunt. Tacit. de morib. Germ. *Nec virgines feſtinantur.* Plinius Paneg. *Hinc delubra occulta celeritate properantur.* Cicero Att. *At, quàm honeſta, & quam expedita tua conſilia, quàm evigilata ſuis cogitationibus.*

II.

Non video, cur verba hæc interim non habeant, ſi opus erit, tertiam perſonam multitudinis. Cur enim non dicant glires : *Totæ nobis dormiuntur hyemes?* Nec deſunt Veterum teſtimonia, quibus id
confirmemus. Ovid. Epiſt. *Noctes vigilantur ama-*
*ræ.* Tacitus : *Nec enim hic, ut cæteris gentibus, quæ* Lib. 7.
*regnantur, certa dominorum domus.* Idem de Germ. 1. De
*Trans Lygios Gothones regnantur.* Orat.
Cicero : *Attamen iſta, quæ abs te breviter de-* 1. Off.

*curſa ſunt, audire cupimus.* Idem: *Quo in genere etiam multa in Republica peccantur.*

## *ADMONITIO.*

Multa verba neutra imperſonaliter, & abſolutè uſurpantur: vel ſine caſu, ut *Statur, egetur.* Plaut. Pſeud. *Quid agitur Calliodore?* Cal. *Amatur,*
Æn. 6. *atque egetur acriter.* Virgil. *Itur in antiquam ſilvam.* Ibid. *Ventum erat ad limen.*

Vel cum caſu: Ut, *A me ſervitur Deo.*

Lib. 12. Cicero Attic. *Huic quoque rei ſubventum eſt maximè a nobis.*

## COMMUNE OMNIUM VERBORUM CONSTRUCTIONES.

HActenus de propria, atque privata verborum Conſtructione dictum eſt: Deinceps de communi omnibus dicendum erit.

### *GENITIVUS COMMUNIS poſt Verba.*

I.

PRopria Pagorum, Caſtellorum, Urbium, primæ, vel ſecundæ declinationis, ponuntur in Genitivo, poſt quodvis verbum, ſi interrogatio fiat per adverbium, Ubi?

Lib. 4. Cicero Attic. *Egnatius Romæ eſt.* Idem ad Q. Frat.
Lib. 2. *Accepi litteras tuas datas Placentiæ.* Idem Att. *Ve-*
Lib. 16. *teranos, qui Caſilini, & Galatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam.*

Pro-

III.

Propria ſequuntur Appellativa quatuor, Humi, Belli, Militiæ, Domi.

Cicer. *Theodori quidem nihil refert huminè, an ſublimè putreſcat.* Idem: *Quibuſcunque rebus vel belli, vel domi poterunt, Rempublicam augeant.* Salluſt. *Domi, militiæque, boni mores colebantur.* Tuſc. 5. Off. 2. In Catil.

II.

Si propria tamen fuerint tertiæ declinationis, vel pluralis numeri, ſexto caſu utendum eſt.

Cic. *Babylone paucis poſt diebus Alexander eſt mortuus.* Idem Tiron. *Si ſtatim naviges, nos Leucade conſequere.* Idem Att. *Malo cum timore domi eſſe, quam ſine timore Athenis tuis.* Idem ad eundem: *Lentulum noſtrum ſcis Puteolis eſſe.* De div. 1. Lib. 16. Lib. 16. Lib. 9.

---

## *APPENDIX PRIMI Generis.*

DAtivo Ruri, vel Ablativo Rure utimur, cùm hujus eſt loci. Plaut. Bacch. *Si illi ſunt virgæ ruri, at mihi tergum domi eſt.* Livius; *Morientem rure eo ipſo die ſepeliri ſe juſſiſſe ferunt.* Vel potiùs Ruri priſcus eſt Ablativus, *ut Tiburi*; in E, enim vel I, apud eoſdem exibat. Lib. 8. Dec. 4.

---

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

I.

GEnitivo Domi, adjungi poſſunt adiectiva Meæ, tuæ, tuæ, noſtræ, veſtræ, alienæ. Cicero Marcell. *Nonnè mavis ſine periculo domi tuæ eſſe, quam cum periculo alienæ?* Lib. 4.

Cum aliis adiectivis Ablativo, cum præpoſitione
Triſt. 5. In effertur. Ovid. *Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.*

Quod idem interdum fit cum ſuperioribus pro-
Lib. 1. nominibus. Plinius ad Caleſtrium. *Ille in domo mea ſæpe convaluit.*

II.

Lib. 1. Domi etiam cum ſubſtantivis copulatur. Cicer. Attic. *Clodius deprehenſus domi Cæſaris.*

Lib. 2. Att. Idem præpoſitionem addit. *Cum in domo Cæſaris quondam unus vir fuerit, nunc, &c.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

Lib. 8. cap. 38. Æn. 1. Mac. 5.
HUmi jungitur interdum cum verbis ſignificantibus motum. Plinius: *Intentos ingentes arcus defigunt humi.* Virg. *Nec prius abſiſtit, quam ſeptem ingentia victor Corpora fundat humi.* Ovid. *Proſterne humi.*

II.

Quidam dubitant, dicendùmne ſit: Marcellus natus eſt Romæ nobilis urbis, an nobili urbe: Cice-
Pro Arch. ro poſteriore modo loquitur. *Natus eſt Antiochiæ loco nobili, & celebri quondam urbe.*

Philip. 4. Idem præpoſitionem interponit, pro Rabirio: *Neapoli in celeberrimo oppido.* Idem in Anton. *Albæ in urbe opportuna.*

Lib. 1. Plinius ferè Ablativo utitur præpoſitione præpoſita. *In Nea oppido Troadis.* Idem: *In Civitate Taraſino.*

Mo-

## III.

*Motus ad locum.*

Si verò per adverbium Quo? fiat interrogatio; Accuſandi caſu efferuntur, cujuſcunque ſint declinationis, ac numeri. Ut; *Quo is? Romam, Brunduſium, Carthaginem, Athenas, Delphos, Gades, Rus, Domum.*

Cicero Att. *Epiſtolas Catinam, Taurominium: Syracuſas commodius mittere potero.* Plinius: *Sveſſam Pometiam illa tempeſtate florentiſſimam, deportata eſt.* Terent. Heaut. *Domum revertor mæſtus.* Idem Eunuch. *Rus ibo*, Cicero pro Arch. *Eum domum ſuam receperunt.*

Lib. 14. Lib. 7. cap. 6.

---

## APPENDICES TERTII *Generis.*

### I.

VErba Nuntiandi, Dandi, latentem motum adſignificant interdum. Cicero: *Res ab omni conventu cognita, celeriter domum nuntiatur.* Idem: *Ita Romam erat nuntiatum.* Idem: *Statius Meſſaniam litteras dedit.*

4. Verr. 3. Verr.

### II.

Propria, item Rus, & Domus, numero multitudinis etiam adiectiva ſine præpoſitione admittunt. Livius: *Inde Capuam flexit iter luxuriantem longa felicitate.* Juſtinus: *Appropinquantem veſpere equum conſcendit, & Rus urbanum contendit.* Livius: *Ut ambo exercitus Veiens, & Tarquinienſis ſuas abirent domos.* Salluſt. Jugurth. *Domum regiam duxit.*

3. Bell. Pun. Lib. 13. 3. Bell. Pun.

Rus numero multitudinis nondum legi ſine præpoſitione.

### I I I.

*Motus è loco , & per locum.*

Si per Unde , vel Quà ? fiat interrogatio , Ablativo utemur. Unde, redis ? *Roma, Carthagine, Athenis, Delphis, Gadibus, Rure, Domo.* Qua iter feciſti? *Roma Brunduſio, Carthagine, &c.*

Cicero Att. *Accepi Roma , ſine tua epiſtola , faſci-*
Lib. 5. *culum litterarum.* Idem eidem; *Hac ſuper re ſcribam*
Lib. 16. *ad te Rhegio.* Terent. Eunuch. *Video Rure redeuntem*
Lib. 5. *ſenem.* Cic. Att. *Iter Laodicea faciebam , cum has lit-*
*teras dabam in Caſtra.*

---

## *ATTENDICES TERTII Generis.*

### I.

PRopria ſæpè præpoſitionem accipiunt , maximè ſi quæſtio fiat per Unde , aut Quo? Cice-
Lib. 9. ro Att. *A Brunduſio nulla adhuc fama venerat.* Idem
Lib. 8. eidem: *Navis & in Cajeta parata eſt nobis, & Brun-*
*duſii.* Idem de Senect. *Adoleſcentulus miles profectus*
Bell. *ſum ad Capuam.* Livius : *Ab Roma Legatos veniſſe*
Pun. 1. *nuntiatum eſt.* Cæſar; *Complures præterea naves lon-*
Bell. *gas in Hiſpali faciendas curavit.* Plinius ad Fabat.
Civ. 12. *Proconſul Provinciam Bæticam per Ticinium eſt peti-*
Lib. 7. *turus.*

### I I.

Domus nonnunquam etiam præpoſitiones ad-
Lib. 7. mittit Plin. ad Fabat. *Ego in villam eius ſæpè ſeceſſi,*
Lib. 1. *ille in domo mea ſæpè convaluit.* Livius : *Ab domo ve-*
Dec. 3. *nerunt.* Cicero; *Ad quem è domo Cæſaris tam multa*
Philip. 2. *delata ſunt.* Seneca : *Ego in domum veſtram intrabo.*
2. Contr.

Non

### III.

Non ſolùm Verba, ſed etiam Nomina interdum
caſus communes habent. Cæſar. *Frumentum omne,* Bell.
*præterquam quod ſecum portaturi erant, comburunt,* Gall. 1.
*ut domum reditionis ſpe ſublata, paratiores ad omnia*
*pericula ſubeunda eſſent.*
Cicero; *Cum capitalem, & peſtiferum Brunduſio* Phil. 4.
*M. Antonii reditum timeremus.*

### IV.

NOmina Inſularum, Regionum, Provinciarum, cæterorum denique majorum Locorum, præpoſitionem ferè deſiderant.

Cicero in Verr. *Ex Sicilia in Africam gradus im-* Lib. 4.
*perii factus eſt Romanis* Idem Att. *Promitto tibi, ſi* Lib. 9.
*valebit, regulam illum nullam in Italia relicturum.* Lib. 1.
Idem eidem: *Nonis Quinctil. veni in Puteolanum.* Lib. 13.
Idem eidem: *In Tuſculano te expecto.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

### I.

PRopriis majorum Locorum interdum detrahi-
tur præpoſitio, præcipuè à Poetis, & Hiſtori-
cis. Virg. *Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit.* Li- Æn. 2.
vius: *Ingreſſi rurſus iter per Cherſoneſum, Helleſpon-* Bell.
*tum perveniunt.* Tacitus: *Germanicus Ægyptum pro-* Mac. 7.
*ficiſcitur.* Valer. Max. *Marcus Bibulus duos egregiæ in-* Ibid.
*dolis filios ſuos a Gabinianis militibus Ægypti occiſos co-* Lib. 4.
*gnovit.* Cæſar: *Cæſar cum audiſſet Pompeium Cypri* cap. 1.
*viſum &c.* Cicer. pro Dom. *Marcus Cato inviſus,* Bell.
*quaſi per beneficium Cyprum relegatur.* Civ.

### II.

Nec tamen hæc, & ſimilia multùm nos urgere de-

bent

bent cùm multa non ſolùm Inſularum, ſed etiam Oppidorum olim fuerint nomina, ut *Delos, Samos, Corcyra, Rhodos, Ithaca, Tenedos, Melita, Sardinia, Cyprus, &c.* quibus frequenter nulla additur præpoſitio, ratione urbis.

### III.

Cætera appellativa ſine præpoſitione eleganter efferuntur, quæ alioqui Accuſativo, cum præpoſi-
Philip. 5. tione Per, efferenda eſſent. Cic. Att. *Nunc iter con-*
Lib. 2. *ficiebamus æſtuoſa, & pulverulenta via.* Idem in Ver. *Multæ mihi à Verre inſidiæ terra, marique factæ ſunt.* Idem pro Plancio; *Iter à Vibone Brunduſium terra petere contendi.*

Vagandi verbum, hanc imprimis elegantiam ſibi
Philip. 10. vendicat. Idem in M. Anton. *Nunc tota Aſia vaga-*
Lib. 14. *tur, volitat ut Rex.* Idem ad Att. *Quem quidem ego ſpero jam tutò, vel ſolum tota urbe vagari poſſe.* Idem pro Fontejo: *Hi contrà vagantur læti, atque erecti paſſim toto foro.*

### IV.

Cùm Petendi verbum pro Proficiſci, vel Adire adhibetur, non eſt locus præpoſitioni. Livius: *Dum*
1. Bell. Pun. *ipſe terreſtri, per Hiſpaniam, Galliaſque itinere Italiam peteret.*

---

## *DATIVUS COMMUNIS*
### *poſt verba.*

QUodvis verbum admittit Dativum ejus perſonæ in cujus gratiam, commodum, vel incommodum, aliquid fit.

Plaut. Milit. *Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi ei-*
Lib. 2. *dem metis.* Cicero Att. *Libros tuos, cave cuiquam tra-*
Ab Urb. *das nobis eos, quemadmodum ſcribis, conſerva.* Livius: *Magno illi ea cunctatio ſtetit.*

AC-

## *ACCVSATIVUS vel ABLATIVUS*
*Communis temporis poſt verba.*

TEmpus Accuſativo, vel Ablativo caſu effertur, ſi per Quandiu, fiat interrogatio, Ut, *Quamdiu regnavit Romulus? ſeptem, & triginta annos, vel annis.* 1. ab Urb.

Livius; *Romulus ſeptem, & triginta regnavit annos.* Sveton. *Vixit annis viginti novem, imperavit triennio, & decem menſibus, diebuſq; octo.* In Catil. cap. 59.

Interrogatio per adverbium Quamdiu? frequentiùs effertur Accuſativo, quàm Ablativo, Ut *Ibi paucos dies retenti fuimus.* Cicero: *Provinciam triennium obtinuiſti.* Idem: *Cenſet habendas triduum ſerias.*

Si verò per Quando? fiat, Ablativo utemur; Ut, *Quando datum eſt tibi hoc negotium? Anno ſuperiore.* Cicero de Aruſpic. *Negotium magiſtratibus eſt datum anno ſuperiore.* Tuſc. 5. Idem: *Heroicis etiam ætatibus Vlyſſem, & Neſtorem accepimus, & fuiſſe, & habitos eſſe ſapientes.*

---

## *APPENDIX TERTII*
*Generis.*

ABlativus interdum Intra ſignificant. Ut, *Paucis diebus, biduo, triduo,* pro *Intra paucos dies, intra biduum, intra triduum.* Cicero ad Q. Lib. 7. Frat. *Diebus ſexdecim abſoluta quatuor tragœdiæ.* Lib. 9. Idem Att. *Biduo ſcimus.* Cicero pro Milon. *Clodius reſpondit, triduo illum, ad ſummum quatriduo, periturum.*

## *ACCVSATIVUS COMMVNIS*
*ſpatii poſt verba.*

CUivis verbo apponi poteſt Accuſativus, qui diſtantiam loci ſignificet.

Lib. 16. Cicer. ad Tiron. *Is locus eſt circa Leucadem ſtadia*
Lib. 13. *viginti.* Idem Att. *Cubitum nullum aſſiduo curſu præ-*
*ceſſit.* Idem pro Dejotaro: *Negat ſe à te pedem di-*
Ibid. *ſceſſiſſe.* Livius; *Mille, & ducentos paſſus ibi latitudo patet.* Idem; *Duo millia fermè, & quingentos paſſus ab hoſte poſuerunt caſtra.*

Interdum Ablativo utuntur Scriptores.

Bell. Cæſar. *Eo die caſtra promovit, & millibus paſſuum*
Gall. 1. *ſex à Cæſaris caſtris ſub monte conſedit.* Idem: *Ab ex-*
Ibid. *ploratoribus certior factus eſt, Arioviſti copias à noſtris, millibus paſſuum quatuor, & viginti abeſſe.*

---

## *APPENDIX TERTII*
*Generis.*

CUm dicimus; Abeſſe bidui, tridui, quatridui,
Lib. 5. Iter, aut Viam, intelligitur. Cicer. Attic. *Cum*
Bell. *in caſtra proficiſcere, à quibus aberam bidui.* Item
Gall. 1. Catil. *Aberam ab Amano iter unius diei.* Cæſar. *Cùm bidui viam proceſſiſſent.* Vide Figuratam Conſtructionem.

---

## *ABLATIVUS ABSOLVTVS*
*poſt Verba.*

QUibuslibet Verbis addi poteſt Ablativus abſolutè poſitus.

Lib. 5. Cicero: *Quod auctore te velle cœpi, adiutore aſſe-*
Lib. 14. *quar.* Idem eidem: *Scripſi hoc ad te, appoſita ſecunda menſa.*

Idem

Idem de Legibus : *Nobilium vita, victuque mutato, mores mutari Civitatum puto.* Idem de claris Orat. *Ego cautior poſthac hiſtoriam, te audiente, attingam.* Lib. 3.

Veruntamen cùm Nomen, aut Participium ab aliquo verbo pendet, cum eo conſentire ſolet. Cicer. de Orat. *Cum Proconſul in Ciliciam proficiſcens, Athenas veniſſem.* Ibidem : *Cogitanti mihi ſæpenumero, ac memoria, vetera repetenti, perbeati fuiſſe illi videri ſolent.* Lib. 1.

---

## *APPENDICES TERTII*
### *Generis.*

ALiquando abſolutè ponitur participium præteriti temporis ſine nomine. Livius : *Inde ad fluvium eſt progreſſus, nondum comperto, quam regionem hoſte petiſſent.* Tacit. *Audito, Caſtellum Luppiæ flumini appoſitum obſideri, ſex Legiones eò duxit.* Bell. Mac. 1. Lib. 2.

---

## *ABLATIVUS INSTRUMENTI,*
### *Cauſæ, Modi, Actionis, poſt verba.*

QUævis verba Ablativum admittunt ſignificantem Inſtrumentum.

Terent. Adelph. *Hiſce oculis egomet vidi.* Cicero in Vatin. *Cum illud iter Hiſpanienſe pedibus ferè confici ſoleat.*

II.

Aut Cauſam, propter quam aliquid fit.

Idem ad Q. Frat. *Veſtra culpa hæc acciderunt.* Lib. 2.

Idem in Brut. *Vereor, ne amore videar plura, quàm fuerint in illo, dicere.* Plinius ; *In Africa magna pars ferarum æſtate non bibunt, inopia imbrium.* Lib. 10. cap. 37.

Aut

### I I I.

Aut modum, quo aliquid fit.

Cicero pro Milon. *Quonam modo id factum ferret Civitas?* Idem de Senect. *Sapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo.* Idem pro Flac. *Pacem maritimam ſumma virtute, atque incredibili celeritate confecit.*

---

## *APPENDIX PRIMI*
### *Generis.*

MOdus actionis præpoſitionem Cum interdum deſiderat. Cicero: *Ira procul abſit, cum qua ni-*
Off. 1. *hil rectè fieri, nihil conſiderate poteſt.* Idem de Orat.
Lib. 3. *Cum febri domum rediit, dieque ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus.*

---

## *APPENDICES SECUNDI*
### *Generis.*

### I.

AD cauſam propter quam; pertinent hæc, & ſimilia. Ardere iracundia, ira, ſtudio, deſiderio, amore alicujus rei. Flagrare, inflammari cupiditate, amore. Terent. Adelph. *Me miſerum vix ſum compos animi, ita ardeo iracundia.*

Hæc etiam fortaſſis; *Lætor, gaudeo, delector, oblector, triſtor*, de quibus ſuprà egimus.

### I I.

Adhibetur etiam præpoſitio Cum, quæ Comes dicitur. Cic. pro Cluent. *Semper magno cum motu dicere incipio.* Idem in Orat. *Cum videret Oratores cum*

*ſe-*

*ſeveritate audiri, Poetas autem cum voluptate, tum dicitur numeros ſequutus.*

## *ABLATIVUS EXCESSUS* *poſt Verba.*

CUivis verbo adjungi poteſt Ablativus rei, quà exceſſus ſignificatur.

Cicer. de Clar. Ora. *Publ. Scipio omnes ſale facetiiſ-* Lib. 2.
*que ſuperabat.* Idem de Orat. *Lepore, & humanitate*
*omnia præſtitit Socrates.* Terentius Phorm. *Incredi-* In Jug.
*bile eſt, quanto herum anteeo ſapientia.* Salluſt. *Quum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus erat.*

## *ABLATIVUS PRETII* *poſt Verba.*

QUælibet verba admittunt Ablativum ſignificantem pretium.

Ut, *Senatus tritici modium tribus denariis æſtimavit. Magnobas ædes ædificavi.*

Cicero in Verr. *Hæc quæ vel vita redimi rectè poſ-* Lib. 7.
*ſunt, æſtimare pecunia non queo.* Terent. And. *Vix* Lib. 5.
*drachmis obſonatus eſt decem.* Cicero in Verr. *Doceat* Lib. 7.
*oportet, aliquo in loco Siciliæ; Prætore Verre, ternis de-* cap. 30.
*nariis tritici modium fuiſſe.* Plin. *Viginti talentis unam* Bell.
*orationem Iſocrates vendidit.* Livius: *Multorum ſan-* Pun. 2.
*guine, & vulneribus, ea Pœnis victoria ſtetit.*

### *EXCEPTIO.*

His tamen Genitivis exceptis; Tanti, tantidem quanti, quanticumque, pluris, minoris. Off. 3.

Cicero: *Emit homo cupidus tanti, quanti voluit.* Ibid.
Item: *Vendo meum non pluris, quàm cæteris, fortaſſe* Lib. 3.
*etiam minoris.* Seneca: *Tantidem redemi patrem, quan-* cont.
*ti a te redemptus ſum.*

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

### I.

GEnitivi Tanti, Quanti, Quanticumque, Minoris, in Ablativum tranſeunt, ſi addantur
1. Bell. ſubſtantiva. Livius: *Hic miles magis placuit, cùm*
Pun. *pretio minori redimendi captivos copia fieret.*

### II.

Æſtimo, cujus ſuprà meminimus, cùm parvi, aut magni facere ſignificat, Genitivo gaudet: Cùm verò æſtimationem habere, atque taxare, hujus
Lib. 5. eſt loci. Cicero in Verr. *Eodem te tempore Antonius tribus denariis æſtimavit, poſt meſſem ſumma in vilitate.*

### III.

Verbum Valeo Ablativum, vel Accuſativum
Lib. 33. amat. Plin. *Aureus nummus, poſt annum ſexageſi-*
cap. 3. *mum ſecundum percuſſus eſt, quàm argenteus; ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis.* Varr. de Ling. Lat. *Denarii, quòd denos æris valebant: quinarii quòd quinos.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

### I.

NOn ſolùm verba, quæ apertè emptionem, venditionemque ſignificant, ut *Emo, coemo, redimo, mercor, vendo, divendo, diſtrabo, venumdo, veneo, ſto, conſto, valeo, liceo, liceor, licitor, abdico, loco, conduco, taxo, æſtimo,* pro *taxo, ſum,* pro *valeo*; Sed etiam quævis alia huc ſpectant. Varro de re

Ruſt.

Ruſt. *Piſcinæ ædificantur magno.* Cicero: *Verùm enim* Verr. 5.
*verò, cùm eſſet frumentum ſeſtertiis binis, aut ternis, quibuſvis locis Provinciæ duodenos ſeſtertios exegiſti.* Eſſet, pro Valere.

II.

Adverbia, Carè, Cariùs, Cariſſimè: Benè, Meliùs, Optimè; Malè, Pejùs; Viliùs, Viliſſimè, cum Verbis Emendi, Vendendique apud bonos Auctores invenies.

*ADMONITIO.*

De caſibus, qui beneficio præpoſitionum, communes ſunt omnium verborum, dicturi ſumus, cum de conſtructione præpoſitionum agemus. Cicer. pro Seſt. *Libelli pro vino etiam oppignerabantur*; ſed ſine præpoſitione tutiùs.

# CONSTRUCTIO
## VERBI INFINITI.

VErba infinita eoſdem poſt ſe caſus poſtulant, quos finita.

Cicer. Tiron. *Malo te paulo poſt valentem, quàm* Phil. 16.
*ſtatim imbecillum videre.* Idem ad Q. Frat. *Quod ſcri-* Lib. 3.
*bis te à Cæſare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo.*
Idem ad Att. *Vellem in principio audiviſſe amiciſſimè admonentem.*

---

## *APPENDIX PRIMI*
### *Generis.*

PRæteritum Perfectum Paſſivum, & Pluſquàm Perfectum, ex infinito Eſſe, vel Fuiſſe; atque participio præteriti temporis ſupplentur, mutatis numeris, & generibus, pro re, de qua agitur.

Philip.2. Cicero in Anton. *Publ. Clodium meo conſilio interfectum eſſe dixiſti.* Idem pro Cluen. *Injuriam ab huius familia factam eſſe dixiſti.*

Verbum interdum omittitur. Idem pro Milon. *Negant lucem fas eſſe intueri ei, qui à ſe hominem occiſum fateatur.*

---

## *FVTVRVM INFINITVM*
### *Activum.*

I.

FOre, futurum infinitum tantùm in uſu eſt, jungiturque cum omnibus generibus, & utroque numero.

Lib. 1. Cicer. Lent. *Vehementer confidit hic litteris ſe apud*
Ibid. *te gratioſum fore.* Idem eidem: *Spero nobis hanc con-*
Lib. 8. *junctionem voluptati fore.* Idem Att. *Nihil arbitror fore, quod reprehendas.* Idem eidem: *Dionyſio, dum exiſtimabam vagos nos fore, nolui moleſtus eſſe.*

II.

CÆtera quibus priſci uſi ſunt, jam exoleverunt, pro quibus Infinito Eſſe, & Participio in Rus, utimur.

Lib. 6. Cic. Att. *Illum eum futurum eſſe puto, qui eſſe de-*
Lib. 1. *bet.* Idem de Orat. *Verè hoc mihi videor eſſe dicturus.*
Lib. 3. Idem in M. Anton. *Id ſe facturum eſſe aſſeveravit.* Idem in Verr. *Non moleſtè fero, me laboris mei; vos virtutis veſtræ fructum eſſe laturos.*

Infinitum Eſſe, frequenter deſideratur.

Lib. 8. Cicero Att. *Ego bellum fœdiſſimum futurum puto.*
Lib. 1. Idem ad Terent. *Celeriùs opinione venturum dicitur.*
Lib. 9. Idem Attic. *Vix ſpero hunc mihi veniam daturum.*
Lib. 3. Idem Appio; *Scribis meas litteras maximum apud te pondus habituras.*

*AP-*

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

FUit priſcis temporibus Futurum infiniti modi, Rum, ſyllaba finitum, quòd omnibus generibus, & utrique numero, non ſecus, ac Fore, accommodabatur. C. Gracchus: *Credo ego inimicos meos hoc dicturum.* Valer. Antias: *Aruſpices dixerunt omnia ex ſententia proceſſurum.* Laberius: *Non putavi hoc eam facturum.*

Nec Cicero penitus ab hoc futuro abſtinuit, quando dixit: *Hanc ſibi rem ſperant præſidio futurum.* 5.Verr.

II.

Fuit & aliud Futurum priſcis uſitatum, Aſſere, vel Eſſere ſyllabis terminatum, primæ, vel ſecundæ conjugationis, à Futuro conjunctivi, Amaſſo, Judicaſſo, Irritaſſo, Expugnaſſo, Impetraſſo, Prohibeſſo, pro amavero, &c. Cicero 3.de leg. *Ni populus prohibeſſit.* Cicero ibid. *Interrogaſſit, judicaſſit*, dixit. Plautus in Epid.

*Adoleſcens, ſi iſtunc hominem, quem quæritas, tibi commonſtraſſo, ecquam abs te inibo gratiam?* Idem Stich.

*Habe bonum animum, nam illum confido domum in his diebus me reconciliaſſere.* Idem Amphit.

*Sin aliter ſint animati, neque dent, quæ petat, ſe igitur ſumma vi viriſque eorum oppidum expugnaſſere.* Idem Amphit. *Si me irritaſſis, hodie lumbifragium hinc auferes.*

III.

Itaq; Fore, nunc tantùm uſitatũ eſt, quod non raró etiam cum participiis in Rus, Præteriti, & Futuri in

Lib. 5. Dus jungitur. Cicero Attic. *Deinde addit, te ad me*
Lib. 10. *fore venturum.* Idem Bruto: *De reliquis rebus à te jam expectare litteras debemus, quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Cæſar meus; quos ſpero brevi tempore ſocietate victoriæ copulatos fore.* Portius Latro, de cujus eloquentia Plin. lib. 20. cap. 1. *Credite item vim univerſam flagitioſæ juventutis aut hodierno die Catilinæ ſupplicio ſimul conficiendam fore, aut, &c.*

---

## *FUTURUM INFINITUM Paſſivum.*

FUturum Paſſivum ex Infinito Iri, & voce ſimili ſupino in Um, conſtat, ut *Amatum iri, doctum iri, violatum iri, occiſum iri,* omnibuſque generibus, atque utrique numero attribuitur.

Lib. 2. Cicer. Attic. *Pompejus affirmat, non eſſe periculum, adjurat: addit etiam, ſe prius occiſum iri ab eo, quàm*
De div. 1. *me violatum iri.* Idem: *Vaticinatus eſt madefactum*
Lib. 9. *iri minus triginta diebus Græciam ſanguine.* Terent.
cap. 1. in prol. Hecy. *Interea rumor venit datum iri gladiatores.* Quinct. *Reus patricidii damnatum iri videbitur.* Plaut. in Ruden. *Mihi iſthæc videtur præda prædatum irier.*

Datum ire, perditum ire, interfectum, ſervatum, amatum, oppugnatum, habitum ire, & alia hujus generis, quibus priſci uſi ſunt; non Futurum, ſed Præſens tempus adſignificant, id eſt, perdere, dare, interficere, &c. Livius lib. 9. belli Maced. *Vitricus tuus pudicitiam, famam, ſpem, vitamque tuam perditum ire hoc facto properat.*

In verbis Deponentibus pro hoc Infinito, utimur participio in Rus: Neque enim dicitur. *Auxiliatum iri; Sed auxiliaturum eſſe.* & cætera eodem modo.

AP-

## APPENDICES TERTII
### *Generis.*

CIrcuitionem illam, quæ ex Participio in Dus, & Infinito Eſſe, conſtat, prætermiſimus, propterea quòd parum uſitata ſit veteribus. Non quòd negem eſſe Participium in Dus, Futuri temporis, cùm id Quinctilianus, omneſque veteres Grammatici doceant; ſed quia hæc loquendi ratio, Officium, Neceſſitatemque potiùs, quam Futurum tempus adſignificare videatur. Virg. lib. 3. Æneid. *Socii tunc arma capeſſant, Edico, & dira bellum cum Gente gerendum.* Significat Æneas, neceſſariò gerendum eſſe bellum cum Harpyis.

---

## RATIO SUPPLENDI
### *Futurum Infinitum.*

FOre, Futurum ut, verbis Spero, Puto, Affirmo, Suſpicor, & his ſimilibus juncta, eleganter Futurum infinitum tam agendi, quàm patiendi modi ſupplent.

Cicero. *Spero fore, ut contingat id nobis;* Item ad Tuſc. 1.
Att. *Nunquam putavi fore, ut ad te ſupplex venirem.* Lib. 16.
Idem Lentu. *Valde ſuſpicor fore, ut infringatur homi-* Lib. 1.
*num improbitas.* Seneca: *Nunquam putavi futurum,* Lib. 1.
*ut pater meus liberos ediſſet.* Cont.

Hac circuitione ſubvenitur verbis, quæ ſupinis carent: ut, Puto fore, *ut brevi his incommodis medeare.* Affirmo fore, *ut paucis diebus orationem pro Marcello edicas.* Suſpicor fore, *ut juri civili potiùs, quàm Philoſophiæ ſtudeas.* Polliceor fore, *ut non multò poſt intimis ſenſibus angaris, quando ſaluberrima parentis*
*conſilia negligis.* Cicero: *Spero fore, ut contingat id no-* Tuſc. 1.
*bis.*

II.

Circuitio illa ex Præterito, & Futuro miſta, non minimum orationi affert ornamentum.

Cicero ad Marcell. *Eum magis communem cenſemus in victoria futurum fuiſſe, quàm incertis in rebus fuiſſet?* Idem lib. 2. de Div. *An tu cenſes, ullam anum tam deliram futuram fuiſſe, ut ſomniis crederet, niſi iſta caſu nonnunquam concurrerent?* Idem in M. Ant. *Dixit, aliam, ſententiam ſe dicturum fuiſſe, eamque ſe, ac Republica dignam, niſi propinquitate impediretur.*

Quòd ſi Verbum ſupino careat, aut paſſivè efferatur, hac potiſſimùm circuitione utendum eſt, Ut *Futurum fuiſſe arbitror, ut edìſceres orationem, ſi valuiſſes.* Cæſar. *Niſi ipſo tempore quidam nuntii de Cæſaris victoria, per diſpoſitos equites eſſent allati, exiſtimabant pleriq; futurum fuiſſe, ut oppidum amitteretur.* Bell. Civ. 2.

*INFINITA CUM QUIBUS CASIBUS copulentur.*

VErbis, Cœpi, Soleo, Debeo, Cupio, adduntur infinita, multiſque aliis, maxime iis, quibus voluntas explicari ſolet, quæ Proæretica vocantur.

Lib. 16. Cicero pro Roſc. Com. *Qui mentiri ſolet, peierare conſuevit.* Idem Tiron. *Omnes cupimus, ego in primis, quam primùm te videre.*

---

*APPENDICES PRIMI Generis.*

I.

MUlta ſunt præterea verba, quibus infinita adduntur: *Ceſſo, deſino, pergo, incipio, gaudeo, lætor,*

*later, ſuadeo, aggredior, opto, deſidero, volo, malo, pare, cogo, affirmo, nego, inſtituo, cenſeo, ſtatuo, decerno, oſtendo, indico, audeo, timeo, iubeo, diſco, cum ſynonymis*, ut *Amat* pro *ſolet*. Item, *Poſſum, videor*, quæque ſunt de eodem genere.

II.

Adiectivis neutris eleganter adhærent infinita; Ut, *Æquum, laudabile, piumque eſt, miſeris opem ferre.* Cicero ad Attic. *Pro patria, & in patria mori, præclarum eſt.* Lib. 8.

---

## APPENDICES TERTII *Generis.*

I.

INfinita nonnunquam cum verbis motus, nominibuſque ſubſtantivis more Græcorum conjunguntur. Virgil. Æn. 1.

*Non nos aut ferro Libycos populare penates*
*Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.*

Terent. in Hecyra. *Vultis nè eamus viſere?* Cicero in Topic. *Sed iam tempus eſt ad id, quod inſtituimus, accedere.*

II.

Adduntur & nominibus adiectivis, maximè apud Poetas. Unde ſunt illa: *Paratus reſpondere, cantare, certare. Certus ire, ſuccurrere, mori: Doctus cantare, vincere: Peritus certare: Audax perpeti. Timidus mori*, & cætera id genus.

Paratus, Dignus, etiam ab Oratoribus cum infinito copulantur. Cicero pro Quinto: *Et ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, falſum crimen, quaſi venenatum telum aliquod jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit.* Idem Salluſt. *Res familiaris, quæ mihi multò minor eſt, quàm habere dignus ſum.*

So-

## III.

Solet, Incipit, Debet, Cœpit, Poteſt, cùm Infinitis Verborum imperſonalium adjunguntur, Nominativum celant

1. De Fin. Lib. 10. Cicer. *Qua præceptrice in tranquillitate vivi poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto.* Idem Att. *Hic maneri diutius non poteſt.*

## I V.

Futurum Infiniti maximè his verbis gaudet; *Auguror, confido, credo, exiſtimo, puto, audio, video, ominor, ſuſpicor, opinor, affirmo, polliceor, promitto.*

Lib. 8. Itemque cæteris ejuſdem generis. Cic. Att. *Sin erit bellum, ut video fore, meæ partes non deſiderabuntur.*

---

## *ACCVSATIVUS*
### *Geminatus.*

AMphibologia, Accuſativi geminatione facta, ſolvitur Ablativo.

Ut, *Milonem audivi occidiſſe Clodium.* Ambigua eſt oratio; Dubium enim eſt, uter ab altero fuerit occiſus. Muta alterum Accuſativum in Ablativum; Sic. *A Milone audivi occiſum eſſe Clodium,* ſublata eſt omnis dubitatio.

---

## *GERUNDIA.*

GErundia, quæ paſſionem non ſignificant, caſus ſuorum verborum admittunt.

Ut, *Tempus obliviſcendi injuriarum; ignoſcendi inimicis; coercendi cupiditates; abſtinendi maledictis.*

GE-

## GERUNDIA IN DI,

GErundiis in Di, adduntur ſubſtantiva Tem-
pus, Cauſa, Studium, Finis, & cætera ejuſdem
generis, Cic. de Seneå. *Equidem efferor ſtudio, patres* Lib. 10.
*veſtros, quos colui, & dilexi, videndi.* Idem Att. *Sit iam
aut finis omnino deplorandi, aut moderatio.*

Item nonnulla adiectiva, ut *Peritus*, *Imperitus*,
*Cupidus*, *Inſuetus navigandi*, *Ignarus dicendi.* Cicero Lib. 2.
de Orat. *Sum cupidus te audiendi.*

---

## APPENDICES TERTII
### Generis.

GErundia in Di, interdum Genitivum multitu-
dinis pro Accuſativo admittunt. Cicero; *Do-* De Div.
*leo, tantam noſtros Epicureos, irridendi ſui facultatem* 2.
*dediſſe* Plaut. Capt. *Nominandi tibi iſtorum erit ma-
gis, quàm edundi copia.*

In his, & ſimilibus locutionibus, Gerundium eſt pluralis numeri, paſſivæque ſignificationis. Neque enim variatur, quod proprium eſt verbi infiniti; generaque omnia recipit, ut infinitum *Fore*; *Amatum iri*, Denique ut illa priſca in Rum. de quibus ſuprà egimus, recipit maſculinum, *Veſtri adbortandi.* Fæmininum, *Spectandi novarum.* Neutrum, *Diripiendi pomorum.*

---

## GERUNDIA IN DO,

GErundia in Do, modò ſine præpoſitione in oratione adhibentur.

Cicero Att. *Plorando defeſſus ſum.* Modò præ- Lib. 13.
poſitiones, maximè, A, Ab, De, In, aſſumunt. Tuſc. 3.
Idem; *Ab invidendo autem rectè invidentia dici poteſt.* Lib. 2.
Idem Curioni; *Etenim quis eſt tam in ſcribendo im-* Lib. 8.
*piger,*

*piger, quàm ego?* Idem eidem; *Tu quid cogites de tranſeundo in Epirum, ſcire ſanè velim.*

Nonnunquam E, vel Ex, Cum, Pro.

Lib. 1. Plaut. Aulul. *Heus ſenex pro vapulando herclè abs te*
Lib. 3. *mercedem petam.* Quinctil. *Scribendi ratio conjuncta cum loquendo eſt.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

### I.

GErundia in Do, etiam cum verbis motus conjunguntur. Cicer. de Clar. Orat. *Tum Brutus: Quam hoc idem in noſtris contingere intellige, quod in Græcis, ut omnès ferè Stoici prudentiſſimi, in diſſerendo ſint, & id arctè faciant, ſintque architecti penè verborum, iidem traducto à diſputando ad dicendum, inopes reperiantur.*

### II.

Hæc Gerundia cum Dandi caſu activæ ſignificationis raró reperiuntur. Plaut. Epid. ultima ſcena act. 4.

*Ego relictis rebus Epidicum quærendo operam dabo; ſi invenero, exitialem ego illi faciam hunc ut ſciat diem.*

---

## *GERUNDIA IN DUM.*

GErundiis in Dum præponuntur Præpoſitiones Ad, Ob, Inter.

Tuſc. 5. Cicero: *Conturbatus animus non eſt aptus ad exſe-*
Lib. 4. *quendum munus ſuum.* Idem in Verr. *Quanto illud fla-*
2. ab Urb. *gitioſius, improbius, indignius, eum, à quo pecuniam ob*
Georg. 5. *abſolvendum acceperis, condemnare?* Livius: *Ipſe inter ſpoliandum corpus hoſtis, veruto percuſſus, inter primam curationem expiravit.*

Virg. *Navique ante domandum Ingentes tollunt animos.*

## *APPENDICES TERTII*
*Generis.*

I.

PRæpoſitio Ad, cum Gerundio in Dum, frequenter ſequitur verba motus. Livius: *Mittunt* 2. ab Urb.
*ad caſtra oppugnanda.* Item adiectiva Facilis, difficilis, paratus, promptus, expeditus, idoneus, aptus, ſegnis, vehemens, & ſimilia. Cicer. *Neque me ſegnio-* 1. De Fin.
*rem ad reſpondendum reddidiſti.*

II.

Gerundia in Do, & Dum, quibus præpoſitio adjuncta eſt, rariùs ſequitur caſus. Varro de re Ruſt. Lib. 9.
*In ſupponendo ova obſervant, ut numero ſint imparia.*
Cicero ad Seſtium: *Ego memoria noſtræ veteris amici-* Lib. 7.
*tiæ, & virtute atque obſervantia filii tui monitos, nul-* cap. 40.
*lo loco deero, neque ad conſolandum, neque ad levandum fortunam tuam.* Plinius: *Una mortalitas eſt ad circumſcribendum ſeipſam ingenioſa.*

---

## *GERUNDIA PASSIVA.*

GErundia, quæ paſſionem ſignificant, nullum poſt ſe caſum admittunt.

Quinct. *Memoria excolendo, ſicut alia omnia, au-* Lib. 2.
*getur.* Plin. *Rubens ferrum non eſt babile tundendo.* Lib. 13.
Idem: *Bituminata, aut nitroſa, utilis eſt bibendo.* Sal- cap. 15.
luſt. *Pauca ſuprà repetam, quod ad cognoſcendum om-* Lib. 13.
*nia illuſtria magis magiſque in aperto ſint.* cap. 6.

--- Jugur.

## *APPENDIX TERTII*
*Generis.*

IN Di, rariùs paſſionem ſignificant. Juſti. *Athenas* Lib. 17.

quo-

*quoque erudiendi gratia miſſus, quanto doctior maioribus ſuis, tantò & gratior populo fuit.*

Lib. 2. Do, Dum, finita frequentiùs. Cicer. de Nat. Deor. *Qua pecude, quòd erat ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius.*

Lib. 13. Do, finitum, tum Dativi, tum Ablativi naturam
cap. 2. imitatur. Dativi: Plin. *Emporetica inutilis ſcribendo.*
Lib. 12. Idem: *Scolymus carduorum generis ab iis diſtat, quòd*
cap. 16. *radix eius veſcendo eſt decocta.*

Ablativus aliquando præpoſitionem habet. Varro de re Ruſtica: *Quàm pauciſſimos reliqueris, tam optimi in alendo fiunt, propter copiam lactis.*

---

## RATIO VARIANDI
### *Gerundia.*

GErundia, quæ accuſativo caſu gaudent, ferè elegantiùs more Adiectivorum ad hunc modum efferuntur.

*Pompejus ſtudioſus fuit Rempublicam defendendi, Civeſque ſervandi; Pompejus ſtudioſus fuit Reipublicæ defendendæ, Civiumque ſervandorum.*

Ita ut Gerundium ejuſdem caſus maneat, ſervato tamen genere, ac numero Accuſativi.

Cicero in Anton. *Princeps veſtræ libertatis defen-*
Phil. 4. *dendæ ſemper fui.* Idem Cicero: *Hic quidquid attigi,*
Lib. 2. *non feci inflammandi tui cauſa, ſed teſtificandi amoris*
*mei.* Livius: *Interiecto deinde haud magno ſpatio, quod*
*vulneribus curandis, ſupplendoque exercitui eſſet.* Ci-
2. ab Urb. cer. Appio; *Animum tuum promptum, & alacrem*
Lib. 2. *perſpexi ad defendendam Rempublicam.* Idem Trebo.
*Omne deſiderium litteris mittendis, accipiendiſque le-*
*niam.* Livius: *Prœlia de occupando ponte crebra erant.*
Lib. 13. Cicer. *Mittunt ad caſtra oppugnanda.* Cicer. *Nunc con-*
7. ab Urb. *tra plerique ad honores adipiſcendos, & ad Republi-*
*cam gerendam nudi veniunt atque inermes.*

## *APPENDICES TERTII Generis.*

### I.

NEceſſe omnino eſt, ut hæc à Verbis Activis 2. abUrb.
fiant: Quare eleganter quidem dices; *Non* 2.deOra.
*defuit mihi voluntas inſerviendi tuis commodis, Faven-*
*di liberis tuis.* At *inſerviendis tuis commodis, Faven-*
*dis liberis tuis*, inauditum eſt, cùm ſit utrumque
verbum Neutrum.

Hæc etiam a verbis Deponentibus non raró na- 2. De
ſcuntur. Cicero: *Voluptates omittuntur, majorum vo-* Finib.
*luptatum adipiſcendarum gratia.* Idem; *Intelliget* 1.de leg.
*quemadmodum a natura ſubornatus in vitam venerit, quantaque inſtrumenta habeat, ad obtinendam adipiſcendamque ſapientiam.*

### II.

Dixi ferè elegantiùs: quia quoties (inquit Laurentius) oportet loqui per Relationem, neceſſe eſt loqui per Gerundium in Di; ut *Equidem efferor ſtudio, patres veſtros, quos colui, & dilexi, videndi.* Nam
durum fuerat, ut idem ait, *ſtudio videndorum pa-* 2.abUr.
*trum veſtrorum.*

Sunt præterea nonnulla, quæ commodiùs activis
Gerundiis, quàm paſſivis efferuntur; quale eſt il-
lud Livii; *Idem in utroque laudatur, cum concedendo* 10.Bell.
*illis laudes ſuas, ipſe maximam partem earum ferret.* Pun.
Intolerabile enim eſſet dicere; *Concedendis illis* 4.ab Ur.
*laudibus ſuis.* Livius: *Ea modò, quæ reſtinguendo igni ſorent, reportantes.* Et: *Experiendam rem denique in uno, aut altero eſſe, ſit ne aliquis plebeius ferendo magno honori.* Et alia id genus apertiſſimè docent, paſſiva Gerundia Dandi caſu in uſu fuiſſe.

Deeſt

### I I I.

Bell. Mac. I. Lib. I. cap. 13. Deeſt aliquando ſubſtantivum. Quinct. pro Gladiat. *Pauperi ſolvendo non ſumus*: ubi, debito, vel aliquid ſimile ſubauditur, quod Livius addit. *Cùm & privati æquum poſtularent, nec tamen ſolvendo æri alieno Reſpublica eſſet.*

Aliquando adiectiva Aptus, idoneus, par, vel aliquid ſimile, quod ab auctoribus aliquando exprimitur Columella. *Dummodo perpetiendo labori ſit idoneus.*

## *PARTICIPIALE VERBUM in Dum.*

VErbum Participiale in Dum, accedente verbo ſubſtantivo, Dativum poſtulat omnibus verbis communem.

Livius: *Hic vobis vincendum, aut moriendum, milites, eſt.*

Præter Dativum communem, etiam caſum ſui Bell. Pun. I. Tuſc. I. verbi admittit. Cicer. *Tuo, tibi judicio eſt utendum. Tibi*, caſus eſt communis; *Tuo judicio*, proprius eſt verbi.

---

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

SI tamen caſus verbi fuerit Accuſativus, mutabitur Participiale activum in paſſivum, & hoc modo: *Petendum eſt tibi pacem; Petenda eſt tibi pax. Timendum eſt nobis pœnas æternas; Timendæ ſunt nobis pœnæ æternæ.*

Lib. 5. Priſci etiam activo uſi ſunt cum Accuſativo. Lucret. *Æternas quoniam pœnas in morte timendum.*

Æn. II. Veteres imitatus eſt Virg. *Alia arma Latinis Quærenda, aut pacem Trojano ab Rege petendum.*

## *SUPINA IN UM.*

SUpina in Um, amant verba, quæ motum adſignificant.

Terent. Phorm. *Percontatum ibo.* Idem Heaut. *Abi deambulatum.* Livius: *Coriolanus damnatus abſens ad Volcos exulatum abiit.* 2. ab Urb.

Ante ſe nullum, poteſt ſe ſuorum verborum caſus habent. Cæſar. *Legatos ad Cæſarem mittunt, rogatum auxilium.* Terent. Phorm. *Me ultrò accuſatum advenit.* Idem Eunuch. *Nutricem arceſſitum ivit.* 1. Bell. Gall.

---

## *APPENDIX TERTII Generis.*

ALiquando occultè additur verbum motus. Plaut. Aulul. *Coctum ego, non vapulatum dudum conductus ſum.* Horatius in Att. *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.*

Item illa: *Do venum ſervos. Do nuptum filiam.* Itemque cætera, in quibus ineſt latens motus.

---

## *SUPINA IN U.*

SUpina in U, ferè paſſivæ ſignificationis ſunt, ſine caſu, adhærentque nominibus adiectivis.

Cicer. ad Att. *Quod optimum factu videbitur, facies.* Idem in Ant. *O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu.* Lib. 7. Phil. 2.

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

VEteres Grãmatici (quorum ſententiæ non invitus ſubſcribo) docent, Supina in U, etiam ſigni-

L. fica-

cap. 5. 1. A chil. ficare actionem: Cum quibus faciunt nonnulli juniores, adducentes illud Plaut. Menæch. *Obſonatu redeo.* Item Catonis de re Ruſtica: *Primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitum eat.* Et Statii: *Quam tum venatu rediturum in limine primo Opperiens.*

## PARTICIPIA.

PArticipia eoſdem caſus habent, quos verba, à quibus proficiſcuntur.

Livius: *Ancus ingenti præda potitus Romam rediit.*

1. ab Urb. Cic. in Piſon. *Abiectum, contemptum, deſertum a cæteris, a te ipſo deſperatum, & relictum, adulantem*

Lib. 1. *omnes, videre te volui, vidi.* Idem Lentul. *Totus eſt nunc ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus.*

## APPENDIX TERTII
### Generis.

I.

PArticipia paſſiva præteriti, & futuri temporis, maximè cum fiunt nomina, etiam Dativo gaudent.

Cic. de Senect. *Sperare videor Scipionis amicitiam, & Lælii notam poſteritati fore.* Terent. And. *Reſtat Chremes, qui mihi exorandus eſt.*

Hujus generis ſunt: *Cognitus, perſpectus, exploratus, compertus, dilectus, probatus, acceptus, ſpectatus, contemptus, neglectus, &c.*

Cœnatus, pranſus, auſus, gaviſus, fiſus, ſolitus, argutus, cautus, circumſpectus, conſideratus, contentus, diſertus, falſus, fluxus, profuſus, ſcitus, tacitus, voce quidem paſſiva imitantur, ſignificatione verò activa, conſtructione non raro adiectiva. Ovid. *Scitus vadorum.*

Exo-

## II.

Exoſus, Peroſus, Pertæſus, Accuſativum pe-
tunt. Cur. *Perſarum te veſtis, & diſciplina delectat,* Lib. 8.
*patrios mores exoſus es.* Livius: *Plebs conſulum nomen* 3.abUrb.
*haud ſecus, quàm regum peroſa erat.* Svetonius in Cæ-
ſar. *Quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quòd nihil dum à ſe* cap. 7.
*memorabile actum eſſet.*

## III.

Admittunt item participia præteriti temporis
Accuſativum more Græcorum: ut, *Redimitus tem-
pora lauro.* Svet. in Auguſt. *Dextrum genu lapide ictus.* Bell.
Livius: *Femur tragula graviter ictus.* Sed de his in pun. 1.
figurata conſtructione.

---

## *PARTICIPIA FACTA NOMINA.*

Participia in Ans, Ens, Interrogandi caſu gau-
dent, cum fiunt nomina.

Terent. Phorm. *Herus liberalis eſt, & fugitans li-* Lib.9.
*tium.* Cicer. Att. *Boni Cives amantes patriæ.* Salluſt. Bell. Ca
*Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris ſuprà quàm cui-
quam credibile eſt.* Cicero ad Q. Frat. *Fert graviter ho-
mo, & mei amantiſſimus, & ſuæ dignitatis retinens,
ſe apud te neque amicitia, neque iure valuiſſe.*

Nonnulla etiam præteriti temporis, ut *Conſul-
tus, doctus.*

Cicero in Anton. *Neque enim ille magis juriſcon-* Philip.
*ſultus, quàm juſtitiæ fuit.* Horat. *car. 3. od.* 8. *Docte ſer-* Bell. C
*monis utriuſque linguæ.* Salluſt. *Alieni appetens, profu-* Bell.
*ſus ſui.* Livius: *Servitutis, indignitatiſque homines ex-* Mac. 1
*pertos, adversus notum malum irritatos eſſe.*

Huc accedunt, quæ participii ſpeciem præ ſe fe-
runt, ut Inſolens, impotens, intolerans, impatiens.
Cicer. Att. *Itaque amicus ille noſter inſolens infamiæ,* Lib.
*&c.*

## *APPENDICES PRIMI Generis.*

PArticipia præſentis, præteritique temporis, cùm nominum naturam induunt, more eorum comparantur.

Lib. 1. Cicer. Lentul. *A me nullum tempus prætermitti-*
*tur, de tuis rebus & agendi, & cogitandi, utorque ad*
*omnia Q. Selicio, quo neque prudentiorem quemquam*
*ex tuis, neque fide maiorem eſſe judico, neque amantio-*
Lib. 16. *rem tui.* Idem Tiron. *Cùm commodè & per valetu-*
*dinem, & per anni tempus navigare poteris, ad nos*
Lib. 6. *amantiſſimos tui veni.* Idem Att. *Nihil illo Regno ſpo-*
*liatius, nihil Rege egentius.* Idem in Verr. *Hæc tu*
*omnium mortalium profligatiſſimè, ac perditiſſime cum*
*ſcires, cum tanto periculo tuo fieri patereris, atque con-*
*cederes?*

---

## *APPENDICES SECUNDI Generis.*

PArticipiis futuri temporis, addito verbo ſubſtantivo, eleganter utimur pro Debere, vel Oportere; Ut, *Sum expectaturus fratrem.* Terent. Phorm. *Frater eſt expectandus mihi. Eram habiturus heri orationem: Habenda mihi erat heri oratio.* Cic. pro Fontejo; *Orandus erit nobis amicus Pletorius, ut ſuos novos clientes à bello faciendo deterreat.*

Utimur, & Verbo pro Participio. Virg. *Magnum dat ferre talentum. Nihil habeo ſcribere, dicere, &c.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

PEritus, frequentiſſimè cum Genitivo jungitur. Cic. in Bruto: *Lucius Cælius iuris valde peritus.*

Idem

Idem tamen Ablativo uſus eſt pro Cluentio : *Quis.Publ.Octavio ingenio prudentior, jure peritior?*

Eruditus verò cum Genitivo nondum legi apud
idoneos, ſed cum Ablativo. Cicero de Div. *Lucius* Lib. 2.
*quidem Tarutius Firmanus familiaris noſter, in primis Chaldaicis litteris eruditus.*

Doctus litteris Latinis, Græcis, eleganter dicitur. Idem in eod. *Non tam in dicendo admirabiles, quàm docti & Græcis litteris, & Latinis.*

II.

Hæc tria interdum præpoſitionem Ad, cum Ac-
cuſativo admittunt. Cicero ad Q. Frat. *Sic verò fal-* Lib. 1.
*laces ſunt permulti, & leves, & diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditi.*

Cicer. de Orat. *Juriſconſultus, qui legum, & conſuetudinis ad reſpondendum, & cavendum peritus ſit.* Terent. Hecyr. *In eodem mihi videntur omnes ludo docta ad malitiam.*

III.

Genitivum itidem petunt Indoctus, Imperitus,
Inſuetus, quæ ex participiis ſunt compoſita. Cicer. Lib. 2.
Att. *Tam inſuetus contumeliæ.* Cæſar. *Inſuetus labo-* Bell.
*ris.* Livius Bell. Maced. *Aſſuetus Gallici tumultus.* Gall. 7.
Cicero : *Quis P. Octavio juris peritior?* Idem ad eund. Lib. 8.
& Cæſar. *Uſu peritior,* dixit.

## CONSTRUCTIO
### TRANSITIVA PRONOMINIS.

*GENITIVUS POST PRONOMINA Demonſtrativa.*

Pronomina Demonſtrativa, cùm ſubſtantivè ponuntur, Patrium caſum admittunt.

Lib. 2. Cic.ad Cæcil. *Hoc ad te litterarum dedi.* Idem de Ibid. Ora. *Quoniam id temporis eſt, ſurgendum cenſeo.* Item Lib. 1. Att. *Res eſt eodem loci, quo reliquiſti.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

### I.

HUc ſpectant: Hoc commodi, novi, noctis, Lib. 6. ætatis, ſolitudinis, libertatis, virium. Cicer. Lib. 11. Thoran. *Ita viximus, & iam id ætatis ſumus.* Tacit. Lib. 13. *Id repentè ſolitudinis erat.* Idem: *Nec id nobis virium erat.*

Eodem loci eſt res: hic, Eodem, non eſt adverbium, cùm jungatur cum verbo quietis. Eſt: Si dicas: Eodem loci profectus eſt, adverbium erit.

### II.

Pronomen Idem, cum Dativo apud Poetas reperitur more Græco: Horat. in Attic. *Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.*

Oratores verò ſic loquuntur. Cicer. *Peripatetici* Off. 2. *quondam idem erant, qui Academici.* Ex eodem in orat. *Sit igitur hoc cognitum; numeros oratorios, eoſdem* Lib. 2. *eſſe qui ſunt Poetici.* Idem de Nat.Deor. *Dianam, & Lunam eandem eſſe putant.*

---

## *GENITIVUS POST PRONOMINA Poſſeſſiva.*

POſſeſſiva Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter, loco Genitivorum, Mis, tis, ſis, noſtrum, veſtrum, poſita, Genitivum poſtulant.

Lib. 15. Cic.ad Marc. *Moleſtè fero me conſulem tuum ſtudium adoleſcentis perſpexiſſe, te meum, cum id ætatis ſim,*

per-

*perſpicere non poſſe.* Idem in M. Ant. *Tuum hominis* Philip.2.
*ſimplex pectus vidimus:* Idem Att. *Non debes mira-* Lib. 2.
*ri, non poſſe me tanto dolori reſiſtere; ſolius enim meum peccatum corrigi non poteſt.* Horat. Serm. *Cum mea* Satyr.4.
*nemo Scripta legat vulgò recitare timentis.*

---

## *APPENDIX TERTII Generis.*

### I.

EX allatis exemplis intelligitur, Poſſeſſiva Genitivum admittere nominis tum ſubſtantivi, tum adiectivi, tum etiam participii, & non ſolùm cum Genitivis Unius, Solius, Ipſius, Duorum, Trium, Paucorum, Cujuſque, jungi. Cicero in Piſonem: *Sine ulla dubitatione juravi, Rempublicam, atque hanc urbem mea unius opera eſſe ſalvam.*

Laurentius etiam Genitivum, Omnium, addit, 3.De
quem nondum cum poſſeſſivis legi, ſed cum primi- Orat.
tivis. Nam illud Ciceronis; *Voluntati veſtræ omnium parui*, in omnibus libris legitur: *Voluntati veſtrum omnium parui.* Sic Cicer. in Catil. *Ad omnium veſtrum vitam pertinet.*

### II.

Quod ad Genitivum participiorum attinet, eum Oratores ferè in verbum, cum relativo, Qui, Quæ, Quod mutant. Cic. Terent. *Sed omnia ſunt mea cul-* Lib. 14
*pa commiſſa, qui ab iis me amari putabam, qui invidebant.* Nam, *mea culpa putantis*, durius erat.

Quod idem ſæpè faciunt Poetæ. Ovidius; *Nec* 3.de Po
*mea verba legis, qui ſum ſummotus ad Iſtrum.*

## G E N I T I V I
*Mei, Tui, Sui, Noſtri, Veſtri.*

VErba, Participia, & Nomina Adjectiva, quæ Patrium caſum poſtulant, Genitivis Mei, tui, ſui, noſtri, veſtri, gaudent.
Lib. 3. Cicero Att. *Te oro, ut quibus in rebus meis, tui indigebunt, noſtris miſeriis ne deſis.* Idem pro Rab. Poſth. *Equitem Romanum veterem amicum ſuum, ſtudioſum, amantem, obſervantem ſui, labentem excepit.*
Cra t. 4. Idem in Catil. *Habetis ducem memorem veſtri, obli-*
Ad At. 9. *tum ſui.* Cæſar. ad Cicer. *Nihil enim malo, quam me mei ſimilem eſſe, & illos ſui.*

---

## *APPENDICES TERTII*
*Generis.*

### I.

NOmine verborum intelliguntur etiam Gerundia, & Supina, ſi quando eorum uſus inciderit. Ut, *Non eſt tempus obliviſcendi veſtri, noſtri*; Non *Veſtrum, noſtrum.*

### I I.

Cum iiſdem Genitivis Mei, tui, &c. copulari
Lib. 10. poſſunt Participia. Planc. Cicer. *Facultas optabilis tui præſentis ſi mihi eſſet, nunquam à tuis conſiliis diſcre-*
Lib. 11. *parem.* Cicero Lent. *Cognoſcent omnes tui præſentis, tui abſentis amorem.*

### I I I.

Lib. 2. Item cum Gerundiis, ut vocant, adiectivis. Cic. Curion. *Hoc quidquid attigi, non feci inflammandi tui cauſa, ſed teſtificandi amoris mei.*

Cum

## I V.

Cum omnibus tam ſubſtantivis, quàm adjecti-vis, quidam negant hos Genitivos poſſe jungi, ex-ceptis his; Unius, Solius, Ipſius; At non video, cur non cum cæteris quoque. Cur enim non bene lati-nè dicatur: *Pudet me tui hominis vaniſſimi; Non te miſeret mei miſeri, & infelicis?* Sic Terent. Heaut. *Atque inopis te nunc miſereſcat mei.*

---

## *EXCEPTIO I.*

INtereſt tamen, & Refert, Ablativos Mea, Tua, Sua, Noſtra, Veſtra, ſibi vendicarunt; quibus Ablativis addi poſſunt Genitivi Unius, Solius, Ip-ſius cæterique, qui poſſeſſivis adduntur. Ut, *Mea unius refert: Tua ſolius refert. Noſtra ipſorum intereſt vitia extirpare. Tua Rempublicam adminiſtrantis in-tereſt ſemper vigilare.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

DIcimus etiam. *Veſtra paucorum intereſt Cives conſervare*; Quia, *Veſtris paucorum laudibus* le-gimus apud Brutum. At, *Veſtra, ſeu noſtra omnium intereſt bene vivere*, tùm dicam, cùm apud bonos auctores legero Genitivum Omnium, poſſeſſivis junctum. Interim dicam: *intereſt omnium noſtrum rectè vivere, Refert omnium veſtrum antè acta vi-tæ rationem reddere.* In qua locutione Genitivus Omnium, à verbis Refert, Intereſt, legitur: At, Genitivi noſtrum, veſtrum, à nomine Om-nis, quod partitivum eſt. Cicer. in Catil. *Video* Orat. 4.

P. Con-

*P. Conſcripti in me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe converſos.*

## EXCEPTIO II.

NOmina Numeralia, Partitiva, Comparativa, & Superlativa, Genitivos Noſtrum, Veſtrum exigunt.

1.abVrb. Lib. 8. Livius: *Imperium ſummum Romæ habebit, qui veſtrum primus, ô juvenes, oſculum matri tulerit.* Lib. 2. Curtius: *Nolo ſingulos veſtrum excitare.* Cicero ad Q. Orat. 2. Frat. *Domus utriuſque ædificatur egregiè.* Idem contra Rull. *Omnibus vobis, aut matri veſtrum parit. Maxima natu veſtrum.*

Si Nominibus, Verbis, ac Participiis, quæ Genitivos Noſtri, Veſtri, antè admittebant, addantur Numeralia, Partitiva, Comparativa, ac Superlativa, Noſtri, Veſtri, in Noſtrum Veſtrum migrabit. Rectè dicitur: *Sum memor veſtri*; adde, Singu- Ex Scholiis. lorum, Utriuſque, Multorum, Omnium, Paucorum; neceſſario dices: *Sum memor veſtrum ſingulorum, utriuſque omnium, paucorum, multorum*, quia hæc, cùm ſint Numeralia, aut Partitiva, Genitivos Noſtrum, Veſtrum, non Noſtri, Veſtri poſtulant.

## PRONOMINA
*poſt Subſtantiva.*

POſſeſſiva Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter, cohærent cum ſubſtantivis, genere, numero, caſu, cùm poſſeſſio, vel actio ſignificatur.

Ut, *Liber meus: ager tuus; ſtudium noſtrum: labor veſter.*

## *EXCEPTIO.*

AT ſi Subſtantiva ſignificent partem aliquam
generalē corporis, ſive animi; cujuſmodi ſunt:
Pars, Dimidium, Aliquid, Genitivis primitivorum
utemur. Ut, *Nullam partem mei amiſi*; hoc eſt,
*non amiſi manum, pedem, memoriam. Amiſiſti ne* Lib. 5.
*quidquam tui?* Cic. de Finib. *Cui propoſita eſt conſer-*
*vatio ſui, neceſſe eſt huic partes quoque ſui cariores eſſe,*
*quæ perfectiores ſint.* Terent. Adelph. *Tetigine quid-* Lib. 5.
*quam tui?* Quinctil. *Minimam partem mei habent.* cap. 3.

---

## *APPENDICES SECUNDI*
### *Generis.*

SUbſtantiva, quibus ambigua eſt ſignificatio, ut
*Caritas, amor, memoria, deſiderium, cura*, item-
que cætera ſi poſſeſſionem, actionemve ſignificent,
poſſeſſivis adhæreſcunt; Ut *Amor meus, deſiderium*
*meum, quo amo, deſideroque.*

Sin paſſionem ſignificent, Genitivos mei, tui, ſui,
noſtri, veſtri, flagitant; Ut, *Amor mei, deſiderium*
*mei, quo amor, deſiderorque.* Cicero Att. *Dionyſium* Lib. 7.
*flagrantem deſiderio tui miſi ad te.* Idem eid. *Aviam*
*tuam, ſcito, deſiderio tui mortuam eſſe.* Idem Planco:
*Me impulit tui caritas.* Idem Q. Frat. *Nunc decedens* Lib. 1.
*relinque, quæſo, quàm jucundiſſimam memoriam tui.* Lib. 10.
Quinctil. *Poſtquam mei cura diſceſſerat, Matrem, in-* Dec. 6.
*quit, tibi per hæc merita commendo.*

Aliquando utrumque conjungitur. Cicer. Attic. Lib. 15.
*Nicias te, ut debet, amat, vehementerque tua ſui me-* Lib. 12.
*moria delectatur.* Idem Cornific. *Grata mihi eſt vehe-*
*menter memoria noſtri tua.*

## APPENDICES TERTII *Generis.*

I.

NOn in omnibus tamen, quibus anceps eſt ſignificatio, hoc obſervatur. Nam, *crimen meum; vulnus meum; injuria mea*, dicitur etiam mihi illata: Item, *imago mea, tua, ſua, noſtra, veſtra*, non ſolùm quæ poſſidetur, ſed etiam quæ refert, & repræſentat. Plaut. Menæch. *Tua eſt imago tam conſimilis tibi, quàm poteſt.*

Lib. 2. Cicero pro Sext. Roſc. *Ut effictos mores noſtros in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtram vitæ quotidianæ videremus.* Martial. *Ut digna ſpeculo fiat imago tua.*

II.

Lib. 15. Lib. 16. Præterea, Cauſa mea, tua, ſua, noſtra. Cic. ad Caſſ. *Abeſse te mea cauſa moleſtè fero, tua gaudeo.* Idem Tiron. *Non tam mea cauſa, quàm tua doleo te non valere.* Et alibi frequenter. Papinianus: *Cauſa mei.* Ulpianus *Sui*, dixit. Malim cum Cicerone loqui.

---

## RECIPROCA *Sui, Sibi, Se.*

REciproco Sui, Sibi, Se, utimur, cùm tertia perſona tranſit in ſeipſam.

Ut, *Cæſar recordatur ſui; indulget ſibi, amat ſe, loquitur ſecum.*

3.deFin. Cicero: *Eorum eſt hæc querela, qui ſibi cari ſunt, ſe ſeque diligunt.* Idem de Natur. Deor. *Ipſe ſibi diſplicet.*

Et accedente altero verbo: Ut, *Marcellus te, Cæſar, precatur, ut miſerearis ſui, ignoſcas ſibi, ſe in fidem tuam ſuſcipias, nec ſe hoſtem exiſtimes.*

Cice-

Cicero in Orat. *Ne ipſe quidem ſua tanta eloquentia mihi perſuaſiſſet, ut ſe dimitterem.* Idem pro Sex. Roſc. *Hunc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies, noctesque ſtimulat, ac pungit, ut evellatis, poſtulat.* Idem Att. *Qui etiam à me petierit, ut ſecum, & apud ſe eſſem quotidie.* Lib. 5.

---

## APPENDICES TERTII Generis.

### I.

Uuntur aliquando Scriptores, accedente altero verbo, Demonſtrativis, pro Reciprocis. Quinct. *Neque ignoravit, quæ manerent eum pericula:* pro, ſe. Decl. 3.

Et contra, Reciprocis, pro Demonſtrativis. Cicero: *Non enim à te emit, ſed prius quàm tu ſuum ſibi venderes, ipſe poſſedit.* More Græcorum. Philip. 2.

### II.

Quòd ſi duæ tertiæ perſonæ interponantur, Reciprocum plerumque ad priorem referri ſolet. Cic. Att. *Scripſit filius, ſe idcirco ad Brutum confugere voluiſſe, quòd cùm ſibi negotium daret Antonius, ut eum Dictatorem efficeret, &c.* Lib. 5.

### III.

Utimur & Sui, Sibi, Se, cùm intercedit obliquus tertiæ perſonæ, ad quem refertur Reciprocum. Ut, *Video hominem cædentem ſe flagris. Audio avum tuum non eſſe compotem ſui. Suſpicor Ciceronem iniquo animo tuliſſe contemptum ſui.*

Cic. *Habetis ducem memorem veſtri, oblitum ſui.* 4. Catil.
Cic. ad Cæſar. *Nihil eum malo, quàm & me mei ſimilem eſſe, & illos ſui.* Ep. 9. ad Att.
Quinctil. *Tu primò docuiſti filium ſibi non parcere.* Dec. 6.

## RECIPROCUM SUUS.

Reciproco Suus, utimur, cùm tertia perſona tranſit in rem à ſe poſſeſſam.

Ut, *Cicero recordatur Tironis liberti ſui: Indulget liberis ſuis; defendit ſuos clientes; ſcripſit hanc epiſtolam*
Lib. 3. *manu ſua.* Cicero in Verr. *Ajebat multa ſibi opus eſſe,*
Lib. 2. *multa canibus ſuis.* Idem de Orat. *Si feræ partus ſuos diligunt, quâ nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus?*

Et accedente altero verbo; Ut, *Timet Pompejus ne à ſuis veteranis deſeratur. Rogat te Cæſar, ut ſuas partes ſequaris.*

## APPENDICES PRIMI
*Generis.*

Utimur præterea Reciproco Suus, cum res poſſeſſa in poſſeſſorem tranſit. Cicero Attic.
Lib. 9. *Ulciſcentur illum mores ſui.* Idem ad Aruſp. *Sua con-*
Lib. 10. *cio riſit hominem.* Idem pro Seſt. *Hunc ſui Cives à Civitate ejecerunt.* Idem Att. *Indulſit illi quidem ſuus pater ſemper.*

## APPENDICES SECUNDI
*Generis.*

I.

Utimur etiam Suus, cùm additur alter obliquus tertiæ perſonæ, ad quem refertur poſſeſſio. Ut, *Percuſſiſti illum gladio ſuo.* Terent. Adelph. *Suo ſibi hunc gladio jugulo.* Græcorum more.

II.

Cùm Suus, eſt ſubſtantivum, nemo ferè loco ejus

*ejus dicitur Genitivis ipſius, Ejus, &c. Reperi eum cum ſuis, ſive inter ſuos.* Cicero: *Quæſivit, ſalvuſne eſſet clypeus? cum ſalvum eſſe flentes ſui reſpondiſſent, rogavit, &c.* DeFin. 2.

Item cùm ponitur pro, Proprius. Ut, *De hac re dixi ſuo loco. Referam hæc omnia ſuis locis.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

SUi ponitur interdum pro Suus. Cicero de Univerſ. *Imitantes genitorem, & effectorem ſui.* Ibid. *Ita ſe ipſa conſumptione, & ſenio alebat ſui.*

II.

Nonnunquam Suus uſurpatur, pro Is. Cicero Att. *Non deſtitit rogare, & petere mea cauſa, & ſuadere ſua:* quod non temerè imitandum. Rurſus interdum Is, aut Ipſe, pro ſuus ponitur. Cæſar: *Ea ferre moleſtiſſimè homines ſolent, quæ ipſorum culpa contracta ſunt.* 1.deCiv.

## PRÆPOSITIONUM CONSTRUCTIO.

I.

VErba Abſoluta, & Intranſitiva, præpoſitionum beneficio in caſus tranſeunt.

Cicero de Orat. *Cum etiam tum in lecto Craſſus eſſet, & apud eum Sulpitius ſederet: Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eò Q. Catulus ſenex C. Julio fratre venit.* Lib. 2.

Tran-

II.

Tranſitiva, præter proprium caſum, etiam præpoſitiones cum ſuis caſibus admittunt.

Cicer. de Amicitia: *Nihil eſt amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum, quippe cùm propter virtutem, & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modò diligamus.*

III.

Verba compoſita ferè caſum præpoſitionis habent.

Lib. 5. Cicero de Finib. *Cur ipſe Pytagoras & Egyptum*
Lib. 3. *luſtravit, & Perſarum Magos adiit?* Idem ad Q. Frat.
*Cùm ſubitò bonus Imperator noctu urbem hoſtium invaſiſſet, in Senatum ſe non committebat.*

Et repetita præpoſitione. Idem in Verr. *Cæteri hæ-*
Lib. 3. *redes adeunt ad Verrem.* Idem in Ant. *In Galliam in-*
Philip. 11. *vaſit Antonius, in Aſiam Dolabella, in alienam uterque Provinciam.*

Hanc repetitionem amant multa verba compoſita ex præpoſitionibus A, Ab, Ad, Con, De, E, Ex, In. Idem de Amic. *Tu velim à me animum parumper avertas, Lælium loqui ipſum putes.* Idem ad
Lib. 3. Q. Frat. *Abduco equidem me ab omni Reipublicæ cura.*

## *APPENDIX TERTII Generis.*

Cicero ferè Invadendi verbo utitur repetitâ præpoſitione. Adſpirandi verbi elegans eſt uſus, cùm conatum quendam, contentionemque aliquò perveniendi, atque alicujus rei adipiſcendæ adſignificat, effertūrque negatione, aut interroga-
3. Verr. tione. Cicero in Brut. *Ex bellica laude nemo adſpirare ad Africam poteſt.* Idem: *Quid enim ad meam pecuniam, me invito, adſpiras?*

## *CASUS PRÆPOSITIONUM.*

### I.

ACcuſativo ſerviunt: Ad, Apud, ante, adverſùs, vel adversùm, cis, citra, circiter, circa, circum, contra, erga, extra, intra, inter, infra, juxta, ob, penes, per, pone, poſt, prope, propter, præter, ſecundùm, ſupra, ſecus, trans, ultra, verſùs, uſque.

Cicer. in Brut. *In pratulo prope Platonis ſtatuam conſedimus.*

Idem Att. *Secundùm te nihil eſt mihi amicius ſolitudine.* Idem in Verr. *Erant acceptæ pecuniæ Cajo Verrutio, ſic tamen, ut uſque ad alterum R, litteræ conſtarent integræ, reliquæ omnes eſſent in littura.*

---

## *APPENDICES PRIMI*
### *Generis.*

VErsùs, ſuo caſui poſtponitur. Cic. Att. *Verti me à Minturnis Arpinum verſus.* Sulpit. Cic. Lib. 16.
*Ex Aſia rediens, cùm ab Ægina Megaram verſus navigarem, cœpi Regiones circum circa proſpicere.* Lib. 7.

### II.

ABlativo gaudent, A, ab, abs, abſque, cum, coram, clam, de, e, ex, præ, pro, procul, palàm, ſine. Cic. in Piſon. *Mihi verò ipſi coram Genero meo,* Lib. 15.
*propinquo tuo, quæ dicere auſus es?* Idem Att. *Paulò* 6. ab Urb.
*clam iis eam vidi.* Terent. Heaut. *Præ iracundia,* Bell.
*Menedeme, non ſum apud me.* Livius: *Rem creditori* Mac. 7.
*palàm populo ſolvit.* Idem: *Haud procul occaſu ſolis redeundi in caſtra tempus erat.*

## *APPENDIX PRIMI Generis.*

TEnus, quemadmodum Verſus poſtponitur, atque ferè patrium caſum deſiderat, ſi nomen ſit multitudinis. Cicero in Arato: *Et Cepheus conditur antè Lumborum tenus.* Cæl. Cicer. *Rumores illi de comitiis Cumarum tenus caluerunt.*

6.Bell. Sin ſingulare ſit nomen, Ablativo gaudet. Li-
Pun. vius: *Adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus à qua eſſet, alibi genua vix ſuperaret.*

---

## *A, AB, ABS.*

Phil. 3. A Conſonantibus præponitur. Cic. in Ant. *Antonius à fronte, à tergo, à lateribus tenetur.*

Lib. 1. Ab vocalibus. Idem Att. *Cura, & effice, ut ab omnibus & laudemur, & amemur.*

Et nonnullis conſonantibus. Idem pro Cluent. *Ab nullo ille liberaliùs, quàm à Cluentio tractatus eſt.*
Lib. 5. Idem Att. *Rex ab ſenatu appellatus eſt.*

Præcipuè L, R, I, Ut, *ab legatis, ab Romanis, ab Jove.*

Abs, T, & interdum Q. Terent. in And. *O Dane, ita ne contemnor abs te?* Idem Adelph. *Abs quivis homine beneficium accipere gratum eſt.*

---

## *IN, SUB, SUPER, SUBTER.*

IN, ſub, ſuper, modò Accuſativum, modò Ablativum, pro varia ſignificatione, poſtulant.

### *IN.*

IN, cum verbis motus Accuſativum amat.
Jun. 1. Cicer. in Catil. *Egredere ex urbe Catilina, in exilium proficiſcere.*

Item

Item pro Erga, Contra, Ad, Pro, Per. Ut, *Brutus* Invect. 1
*ſuit pius in patriam, crudelis in liberos. Olera, & pi-*
*ſciculos minutos ſerè obulo in cœnam. Commodavi tibi*
*librum in horam, diem, menſem, annum.* Cic. in Catil. Lib. 12.
*Creſcit in dies ſingulos hoſtium numerus.*

Cum verò quies, aut aliquid fieri in loco ſignificatur, Ablativo gaudet. Ut, *Sum in templo. Deambulo in foro.* Idem Att. *In hac ſolitudine careo omnium colloquio.*

Et cùm ponitur pro Inter. Cicero de Amicitia; *Hoc primum, ſentio niſi in bonis, amicitiam eſſe non poſſe.*

---

*SUB.*

SUb, ferè Accuſandi caſum poſtulat pro Circi-
ter, per, paulò, antè; Deniq; cum tempus ad-
ſignificat. *Ut Sub veſperum, ſub noctem; ſub lucis or-*
*tum, ſub idem tempus hæc geſta ſunt.* Cæſar. *Pom-* 1. Bell.
*pejus ſub noctem naves ſolvit.* Livius: *Sub equeſtris* Civ.
*finem certaminis coorta eſt peditum pugna.* 2. Bell.
Item pro poſt. Cicero Planc. *Sub eas litteras ſta-* Pun.
*tim recitatæ ſunt tuæ* Et cum verbis motus. Ut, *Nix*
*ſub adſpectum, & tactum cadit.* Cicero: *Niſi ille ſe*
*ſub ſcalas tabernæ librariæ conjeciſſet.*
Cum verbis quietis Ablativum petit. Virgil. Eclog. 7
*Et ſi quid ceſſare potes, requieſce ſub umbra.* Phil. 2.
Cicer. *Sub nomine pacis bellum latet.*

---

*SUPER.*

SUper, Accuſativo ſervit, cum præpoſitioni Subter contraria eſt, maximè cum motus ſignificatur.

Ut, *Sedeo ſuper ſaxum Tegula cecidit ſuper caput.*
Cicero: *Demetrius ſuper terra tumulum noluit quid-* 2. de le[g.]
*quam ſtatui, niſi columellam.*
Item cum ſignificat, Inter, Præter, Ultra. Cur. Lib. 7.
*Debellaturus ſuper menſas Alexander. Super cætera*

*ſcelera, hoc etiam ſacinus commiſiſti. Erant ſuper mille Imperatores imperante Auguſto.*

Lib. 16. Ablativo adjungitur, cùm pro De, ponitur: Cicero Att. *Hac ſuper re ſcribam ad te Rhegio.*

Et interdum cum verbo quietis, maximè apud Poetas. Virgil. *Hic tamen hac mecum poteris requie-*
Eclog. 1. *ſcere nocte; Fronde ſuper viridi.*

---

## *S V B T E R.*

SUbter, fermè Accuſandi caſum poſcit, ſive quietis, ſeu motus verbis adjungatur.

Tuſc. 1. Cicero: *Plato iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locavit.*

Interdum, apud Poetas potiſſimùm, Ablativum habet.

Æn. 9. Virgil. *Cùm tamen omnes ferre libet ſubter denſa teſtudine caſus.*

---

## *PRÆPOSITIO VERSA in Adverbium.*

PRæpoſitio cùm caſu privatur, in adverbium
Lib. 4. migrat. Cic. Att. *Tu adventare, ac propè adeſſe*
Lib. 2. *jam debes.* Idem pro Flac. *Multis poſt annis pecunia recuperata eſt.* Idem de Nat. Deor. *Senſibus, & animo, ea, quæ extrà ſunt, percipimus.*

---

## *APPENDIX PRIMI Generis.*

HUjus generis ſunt, Ante, contra, citra, circùm, circiter, extra, infra, pòſt, prope, po-
Lib. 8. nè, ultra, uſque, & nonnullæ aliæ. Cic. Att. *Id ipſum, quod me mones, quatriduo ante ad eum ſcripſeram.*

PRÆ-

## PRÆPOSITIONES
*aliis Præpoſitionibus præpoſitæ.*

PRæpoſitiones nonnunquam aliis præpoſitionibus præponuntur.
Cicero Att. *Ibi eſſe volo, uſque ad pridie Kalendas* Lib. 2.
*Maias.* Idem eidem: *De Q. Fratre nuntii nobis triſtes,* Lib. 1.
*nec vani venerunt, ex ante diem Nonas Junias, uſq; ad pridie Kalendas Septembris.*

Uſque, tamen ferè alteram præpoſitionem deſi-
derat. Idem in Verr. *Maximis in laudibus, uſque ad* Lib. 7.
*ſummam ſenectutem, ſumma cum gloria vixit.* Te-
rent. Eunuch. *Ex Æthiopia eſt uſque huc?* Cic. de Nat. Lib. 1.
Deor. *Uſque a Thalete enumeraſti ſententias Philoſophorum.* Lib. 6.

Niſi præponatur nominibus Oppidorum Cicero in Verr. *Sacerdotes uſque Ennam profecti ſunt.* Teren. Adelph. *Miletum uſque obſecro.*

## CONSTRUCTIO
## ADVERBII.

---

### NOMINATIVUS
*Poſt Adverbium.*

EN, Ecce, Nominandi, ſeu Accuſandi caſum admittunt.
Cicero pro Dejot. *En crimen, en cauſa.* Plaut. Lib. 6.
Amphit. *En tectum, en tegulas, en obductas fores.* Cic.
In Verr. *Ecce nova turba, atque rixa.* Idem: *Ecce mi-* 3. De Fin.
*ſerum hominem, ſi dolor ſummum malum eſt.*

## *APPENDIX TERTII Generis.*

Lib. 2. APponitur Dativus Tibi, non ſine lepore. Cicero Att. *Cùm hæc maximè ſcriberem, ecce tibi Seboſus.* Idem: *Ecce tibi, qui Rex populi Romani, dominuſque omnium gentium eſſe concupieris.*

---

## *GENITIVUS poſt Adverbium.*

I.

SAtis, abundè, affatim, parùm, inſtar, partim, ergò pro cauſa, Genitivum caſum poſtulant. Terent. Phorm. *Sat jam verborum eſt.* Cicero de Clar. Orat. *Plato mihi unus inſtar eſt omnium.* (Bell. Mac. 7.) Livius; *Victoriæ navalis ergò in unum diem ſupplicatio decreta eſt.*

---

## *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

Lib. 10. INſtar æquiparationem menſuràmque ſignificat. Cicero Att. *Ea verò epiſtola, quæ voluminis inſtar erat, ſæpe legenda, ſicuti facio.*

Lib. 11. cap. 10. Item ſimilitudinem, effigièmque Plinius; *Ruentes ceras fulciunt pilarum inſtar.*

II.

l. de Or. Hæc adverbia ferè omnia, partes Nominativi, agunt. Cic. *Sed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe voluerunt.*

Po-

Ponuntur, & Accuſativi loco. Idem in Piſon. *Cùm partim ejus prædæ profundæ libidines devoraſſent.* Idem. *Ut ad dicendum temporis ſatis babere poſſim.* Vide Conſtructionem figuratam Enall. 1. Verr.

## II.

ITem Adverbia ſuperlativa à nominibus orta. Cicer. de Clar. *Maximè omnium nobilium Græcis litteris ſtuduit.* Idem eidem: *Sæpiſſimè audio illum omnium ferè oratorum Latinè loqui elegantiſſimè.*

## III.

UBI, ubinam, ubicumque, ubivis, quovis, quoquò, nuſquam, Genitivos Terrarum, Gentium, eleganter admittunt.

Cicero Att. *Quid ageres, ubi terrarum eſſes, ne ſuſpicabar quidem.* Terent. Adelph. *Fratrem nuſquam invenio gentium.* Plaut. *Ibi loci, alibi, & quo gentium.* Terent. *Uſquam gentium.* Lib. 5. Lib. 3.

Dicitur, & longè gentium. Cicer. Att. *Tu longè gentium abes.*

Huc ſpectant adverbia Eò, Huc. Livius: *Eò conſuetudinis adducta res erat, ut quocunque noctis tempore, ſibilo dediſſent ſignum, porta aperiretur.* Curt. *Huc enim malorum ventum eſt, ut verba mea eodem tempore Alexandro excuſem, & Antiphani.* 5. Bell. Pun. Lib. 6.

### *GENITIVUS, vel ACCUSATIVUS poſt Adverbium.*

PRidie, & Poſtridie, Genitivum, vel Accuſativum petunt.

 Ci-

Lib. 11. Cicero Att. *Pridie ejus diei venio.* Idem Appio:
Lib. 3. *Pridie Nonas Junii cum eſſem Brunduſii &c.* Cæſar.
1.Bell. *Poſtridie ejus diei Cæſar præſidio utriuſque Caſtris,*
Gall. *quod ſatis eſſe viſum eſt, reliquit.* Cicer. *Poſtridie lu-*
Lib. 16. *dos Appollinares.* Juſtinus: *Tunc temporis* dixit.lib.1.

## DATIVUS poſt ADVERBIUM.

QUædam Dandi caſum petunt, more eorum unde deducuntur.

Ut, *Congruenter, convenienterque naturæ vivere. Dicere convenienter rationi. Obviam alicui ire, procedere, prodire.*

Nam Congruens, Conveniens, Obvius, Dativo gaudent.

1.de Fin. Cicero: *Non quæro quid dicat, ſed quid convenien-*
Philip.2. *ter rationi poſſit, & ſententiæ ſuæ dicere.* Idem: *Cæ-*
Lib. 7. *ſari ex Hiſpania redeunti obviam longiſſimè proceſſiſti.*
cap. 30. Plin. *Platoni ſapientiæ antiſtiti Dionyſius vittatam navem miſit obviam.*

## ACCUSATIVUS
### poſt Adverbium.

PRopiùs, Proximè, Accuſandi caſum exigunt.
Phil. 10. Cicer.ad Octav. *Cur Caſtra longiùs adverſariorum Caſtris, & propiùs urbem moventur?* Idem in Anton. *Brutus operam dat, ut cum ſuis copiis quàm proximè Italiam ſit.*

## APPENDIX TERTII
### Generis.

JUngitur Propiùs, aliquando cum præpoſitione A,
Lib. 1. Cic.de nat. Deor. *Stella alia propiùs à terris moven-*

*ventur*, *alia remotiùs*. Sen. *Quotidie propiùs ab ultimo ſtamus.* Ep. 121.

## *AB HINC.*

AB hinc, verbis præteriti temporis junctum, Accuſativum, ſeu Ablativum poſtulant.

Cicer. in Verr. *Horum pater ab hinc duos, & viginti annos eſt mortuus.* Idem pro Quinct. *Quo tempore? abhinc annis quindecim.* Lib. 1.

## *ABLATIVUS*
### *poſt Adverbium.*

COmparativa Ablativo gaudent. Cicer. *Lacryma nihil citiùs areſcit.* Idem ad Curion. *Nemo eſt, qui tibi ſapientiùs ſuadere poſſit te ipſo.* Teren. Hecyr. *Dies triginta, aut plus eo, in navi fui.* Idem Heaut. *Annos ſexaginta natus es, aut plus eo, ut coniicio.* Plinius: *Minus quinquennio non eſt, quòd prodiere, quæ vocant, laurea, non ingrata amaritudinis.* 2. de Inv. Lib. 2. Lib. 15. cap. 15.

## *APPENDICES TERTII*
### *Generis.*

I.

PLùs, Ampliùs, Minùs, modò Ablativum habent, ut docent allata exempla, modò ſine caſu ponuntur, ſed ſubauditur conjunctio Quàm. Terent. Adelph. *Homini miſero plus quingentos colaphos infregit.*

Cæſar: *Quum ipſi non ampliùs quingentos equites haberent.* 4. Bell. Gall.

Nec enim Accuſandi caſus ab adverbiis reguntur, ſed à verbis *infregit*, *haberent*.

Videntur & Nominandi caſus cum his adverbiis jungi, cùm à verbis pendeant: Cæſ. *Eo die milites ſunt*

*minus ſeptingenti deſiderati.* Idem: *Naves ampliùs octingentæ uno erant viſæ tempore.*

II.

Cum iiſdem adverbiis junguntur Accuſativus, & Ablativus caſus, menſuram ſignificantes, neque ab ipſis reguntur, ſed caſus ſunt communes. Vitruvius: *Ita à pariete diſtent, ut ne plus pateant palmum.* Idem: *Ne plus pedes binos diſtent.* Livius: *Aberat eorum acies paulo plus quingentos paſſus.* Cæſar: *Millibus amplius quingentis in longum patent.*

De Bell. Mac.

## *ADVERBIA LOCI.*

ADverbia, quibus interrogamus, ſunt hæc: Ubi? Unde? Quo? Qua? Quorſum?

### *VBI?*

AD interrogationem Ubi? redduntur hæc; Hic, iſtic, illic, ibi, inibi, ibidem, alibi, alicubi, ubiq;, utrobique, ubilibet, ubivis, ubicunque, paſſim, vulgo, intus, foris, nuſquam, longè, peregrè.

Item Supra, ſubter, infrà, antè, pòſt, extrà, cum fiunt adverbia. Cicero ad Torquatum. *Nemo eſt, quin ubivis, quàm ibi, ubi eſt, eſſe malit.*

### *APPENDIX.*

Hæc dicuntur adverbia in loco, ſeu quæ referuntur ad quietem: quibus Nuncubi, necubi, ſicubi, ubiubi, uſpiam, uſquam addi poſſunt, quæ quamvis ad quietem referantur, tamen ad Ubi non redduntur. Cicero: *Sive eſt illa lex ſcripta uſpiam, ſive nuſquam.* Idem: *Nec eſt uſquam conſilio, aut auctoritati locus.*

De leg. ff. 2.

VN-

## *VNDE?*

AD Unde? redduntur hæc: Hinc, iſtinc, illinc, inde, indidem, aliunde, undelibet, undevis, undique, undecunque, undequaque, alicunde, utrinque, eminus, cominus, ſupernè, infernè, peregrè, intus, foris. Terent. Heaut. *Vide ne quò hinc abeas longiùs.*

### *APPENDIX.*

Hæc appellantur adverbia de loco, ſeu, quæ referuntur ad motum è loco: quibus accedunt Sicunde, necunde, undeunde, intrinſecus, forinſecus, extrinſecus, funditus, radicitus, ſtirpitus.

## *QVO?*

AD Quò? redduntur hæc: Huc, iſtuc, illuc, eò, eodem, illò, aliquò, aliò, neutrò, utroque, quoquò, quocunque, quovis, quolibet, intrò; foras, peregrè, longè, nuſquam. Terent. Hecyr. *Abi Parmeno intrò, ac me veniſſe, nuncia.*

### *APPENDIX.*

Hæc appellantur adverbia ad locum, ſive quæ ad motum è loco referuntur, quibus adjungi poſſunt: Siquo, nequo, quopiam, uſquam. Cicer. *Nec verò uſquam diſcedebam.* Phil. 1.

## *QVA?*

AD Qua? redduntur hæc: Hàc, iſtàc, illàc, aliqua, qualibet, quacùmque. Terent. Eunuch. *Plenus rimarum ſuum, hac, illàc perfluo.*

AP-

## *APPENDIX.*

Hæc vocantur adverbia per locum, ſive quæ referuntur ad motum per locum; quibus ſiquà, nequà, addi poſſunt.

---

## *QVORSVM.*

AD Quorſum, id eſt, quem locum versùs, redduntur hæc, Horſum, iſtorſum, illorſum, aliorſum, deorſum, ſurſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, lævorſum, prorſum, rurſum, introrſum, vel introrſus, retrorſum, vel retrorſus, quoquoverſus. Terent. Phorm. *Horſum pergunt*. Idem ibidem: *Sex ego te totos, Parmeno, hos menſes quietum reddam, ne ſurſum, deorſum curſites.*

---

### *Vt, pro Poſtquam, Quomodo.*

Lib. 7. UT, pro Poſtquam, Indicativum petit. Cicero Attic. *Vt ab urbe diſceſſi, nullum prætermiſi diem, quin aliquid ad te litterarum darem.*

Item pro Quomodo, cum quadam admiratione. Idem ad eundem: *Cneus noſter, ò rem miſeram,*
Ibid. *& incredibilem, ut totus iacet?* Terent. Eunuch. *Vt falſus eſt animi.*

---

## *VT.*

POſt has voces Adeò, ita, ſic, tam, talis, tantus, tot, ferè nunquam ponitur Quod, ſed Ut, cum ſubjunctivo.

1. Tuſc. Cic. pro Rabir. *Adeone hoſpes hujuſce urbis, adeone ignarus es diſciplinæ, conſuetudiniſque noſtræ, ut hæc neſcias?* Idem: *Non ſum ita hebes, ut iſta dicam.*

AN-

## *ANTEQVAM.*

ANtequam, tùm Indicativis, tùm Conjunctivis jungitur. Cic. pro Muren. *Antequam pro Murena dicere inſtituo, pro me ipſo pauca dicam.* Idem in Anton. *Antequam de Republica P. C. dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter conſilium & profectionis, & reverſionis meæ.* Phil. 2.

---

## *PRIVSQVAM.*

PRiuſquam, iiſdem modis gaudet. Cicer. in Ant. *Priuſquam de Republica dicere incipio, pauca querar de heſterna M. Antonii injuria.* Idem Milon. *Præclarè videro ſi quid mihi acciderit, priuſquam hoc tantùm mali videro.* Salluſt. *Priuſquam incipias, conſulto; & ubi conſulueris maturè, facto opus eſt.* Phil. I. Bell. Cat.

---

## *NE, VETANDI.*

NE, ſubjunctivum petit, cùm aliquid prohibemus. Teren. Eunuch. *Ne poſt conferas culpam in me.* Livius: *Ne tot annorum felicitatem in unius horæ dederis diſcrimen.* Bell. Pun. I.

Petit & imperativum, maximè apud Poetas.

Plaut. Perſa. *Abi, ne iura, ſatis credo.* Virgil. *Ne fugite hoſpitium, neve ignorate Latinos.* Æn. 7.

## *NÆ.*

NÆ, hoc eſt, profectò, pronominibus præpoſitum, Indicativum, vel Conjunctivum petit. Terent. Adelph. *Næ ego homo ſum infelix.* Cicero in Anton. *Næ tu, ſi id feciſſes, melius famæ tuæ conſuluiſſes.* Idem: *Næ ille vir ſapiens latius ex his tenebris, in lucem illam exceſſerit.*

PER-

## *PER PERQUAM, &c.*

PEr, perquàm, ſanè, valdè, oppidò imprimis, cumprimis, apprimè, admodum, vehementer, & alia id genus ferè poſitivis gaudent.
3.deFin. Cicero: *Hæc quidem eſt perfacilis, & perexpedita*
2.deOra. *defenſio.* Idem: *Quod mihi quidem perquam puerile*
Lib. 14. *videri ſolet.* Idem ad Terent. *Sin ad nos pertinerent,*
Lib. 3. *ſervirent; præterquàm oppidò pauci.* Idem in Verr.
Ibidem. *Philodamus erat in primis inter ſuos copioſus.* Idem in
eundem: *C. Muſtius homo cum primis honeſtus.*

---

## *QVAM, AFFECTIBVS SERVIENS.*

QUàm cùm admirationi, commiſerationi, atque interrogationi cum admiratione permiſtæ ſervit, poſitivis jungitur. Ut, *Quàm multi avaritiæ ſtudent. Heu quàm ſallaces ſunt hominum ſpes, quàm inanes cogitationes.*
Lib. 12. Cicero de Amicit. *Quàm multa, quæ noſtra cauſa*
cap. 11. *nunquam faceremus, facimus cauſa amicorum.* Quinctil. *Quàm multa, imò pæne omnia, tradit Varro.*

---

## *QVAM, PRO QVANTVM.*

QUàm pro quantum, poſitivis præponitur. Cic.
Lib. 7. Trebat. *Quàm ſint moroſi, qui amant, vel ex hoc intelligi poteſt. Quàm gratum hoc munus fore patri tuo arbitraris? Neſcis, quàm ſint ſtulti, qui ſuis cupiditatibus ſerviunt.*

## *EXCEPTIO.*

Quàm, pro quantùm, cum verbo Poſſum junctum
Lib. 15. ſuperlativis adjungitur. Cic. Caton. *Quàm*

*potui*

*potui maximis itineribus ad Amanum exercitum du-
xi.* Idem de nat. Deor. *Aves nidos conſtruunt, eoſque* Lib. 2.
*quàm poſſunt molliſſimè ſubſternunt.*

---

## QUAM UT.

QUàm ut, eleganter comparativa ſequitur. Ci- Lib. 3.
cero de Orat. *Hoc altius eſt, quàm ut nos humi
ſtrati ſuſpicere poſſimus.*

---

## QUAM PRO VALDE.

QUàm, pro Valdè, ſuperlativis elegantiſſimè
adjungitur. Cicer. Valer. *Vehementer te rogo,* Lib. 3.
*ut cures, ut ex hac commentatione mihi Cuſpius
quàm maximas, quàm primùm, quàm ſæpiſſimè gra-
tias agat.*

---

## TAM, QUAM.

TAm, & quàm poſitiva frequentiſſimè, ſuper-
lativa rariùs comparativa rariſſimè copu-
lant.

Cicero de Orat. *Nemo orator tam multa, ne in* Jugur.
*Græco quidem otio ſcripſit, quam multa ſunt noſtra.*
Salluſt. *Quàm quiſque peſſimè facit, tam maximè
tutus eſt.* Terent. Heaut. *Namq; adoleſcens quàm mi-
nima in ſpe ſitus erit, tam facillimè patris pacem in
leges conficiet ſuas.* Cic. pro Dejot. *Per dexteram te
iſtam oro, quam regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti:
iſtam, inquam, dexteram non tam in bellis, & in præ-
liis, quàm in promiſſis, & fide firmiorem.*

Ponitur interdum Tam, ſeparatim cum ſuper-
lativo. Cicer. in Anton. *Nondum erat veſtris graviſ-* Phil. 2.
*ſimis, tamque multis judiciis, ignominiiſque conciſus.*

AP-

## APPENDICES TERTII *Generis.*

TAm, Quàm, pro Tantò, Quantò, rarò reperiuntur comparativo juncta. Virgil.

Æn. 7. *Tam magis illa fremens, & triſtibus efferà flammis.*

*Quam magis effuſæ crudeſcunt ſanguine pugnæ.*

Tàm, quàm, cum ſuperlativa præcedunt, pro adverbiis Ut, Ita, ponuntur. Sic enim Salluſtii locus exponi poteſt. *Ut quiſque peſſimè fecit, ita maximè tutus eſt.*

## ADVERBIA IN UM.

ADverbia in Um, poſitivis gaudent, ut Parùm, multùm, nimiùm, tantùm, quantùm, aliquantùm.

Lib. 10. Cicero Attic. *Parùm firma ſunt, quæ de fratre meo* 2. De *ſcribis.* Idem in Rull. *Socer hujus viri multùm bonus* Finib. *eſt.* Idem: *In rebus apertiſſimis nimiùm longi ſumus.*

## ADVERBIA, O, FINITA.

PAulò, minimò, aliquantò, tantò, eò, quò, multò, hoc pro tantò, comparativo adhærent.

Lib. 1. Cicero Off. *Quantò ſuperiores ſumus, tantò nos ſubmiſſiùs geramus.* Cicero de Amicit. *Nec verò corpori ſolùm ſubveniendum eſt, ſed etiam menti, atque ani-*

Lib. 10. *mo multò magis.* Plan. Cicero: *Certè hoc maius habes teſtimonium amoris mei, quò maturiùs, quàm cæteris,*

Lib. 5. *conſilia mea volui eſſe nola.* Lucejo Cicer. *Ego valeo, ſicut ſoleo, paulò etiam deteriùs, quàm ſoleo.*

## APPENDICES SECUNDI *Generis.*

I.

MUltò, etiam ſuperlativis additur. Cicer. in Verr. *Cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenii, atque eloquentiæ multò moleſtiſſima.* Lib. 1.

Item, Longè, pro Valdè. Cicero in Bruto. *Longè poſt natos homines improbiſſimus C. Servilius, ſed peracutus, &c.*

II.

Facilè, cùm ſine dubio, ſine controverſia, ſignificat, ſuperlativis gaudet, aut iis, quæ eorum vim habent. Idem pro Rabir. Poſth. *Virum unum totius Græciæ facilè doctiſſimum Platonem, in maximis periculis, inſidiiſque verſatum eſſe accepimus.* Idem pro Sext. Roſc. *Non ſolum municipii, verùm etiam eius Civitatis facilè primus.* Idem pro Cluent. *Regionis illius, & vicinitatis virtute, exiſtimatione, nobilitate, facilè Princeps.* Quinctil. *In affectibus verò tum omnibus mirus, tum in iis, qui miſeratione conſtant, facilè præcipuus.* Lib. 10. cap. 11.

---

## APPENDIX TERTII *Generis.*

I.

LOngè, pro Multò, etiam jungitur comparativo. Virg. *At pedibus longè melior Lycus.* Pro Valdè, jungitur & iis nominibus, quæ vim ſuperlativi habent. Cicer. Bruto; *Lucius Caſtronius Pætus longè Princeps municipii Lucenſis.* Idem; *Longè primus Civitatis eſt Epicrates.* Æn. 9. Lib. 13. 4. Verr.

## II.

Præterea nominibus, quæ diverſitatem, diſſimilitudinèmque ſignificant. Ut, *Longè alius, diſpar, diſſimilis.* Idem de Fontejo; *O fortunam longè diſparem M. Fonteii.*

Item adverbiis Aliter, ſecùs, antè, poſt: & verbis, Antecello, præſto, antepono, quæ adverbium Multò etiam admittunt.

Omnis, frequenter, ſuperlativis jungitur. Cicero:
6.Verr. *Ego mei jam rationem officii confido eſſe omnibus iniquiſſimis meis perſolutam.*

Item Quis, cùm partitivè accipitur, ſuperlativum amat. Quinctil. *De præmiis autem quærunt duo;*
Lib. 7. cap. 5. *an ullo ſit dignus, qui petit; an tanto? Ex duobus, uter dignior; ex pluribus, quis digniſſimus.*

1.De or. Quiſque, ſuperlativis præponitur. Cicero: *Ut quiſque optimè dicit, ita maximè dicendi facultatem, varioſque eventus orationis, hominumque judicia pertimeſcit.*

Jungitur etiam eleganter cum nomine, Quotus.
2.deFin. Idem; *Quotus enim quiſque Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, ac vita conſtitutus, ut ratio poſtulat?* Item cum nominibus, quæ vocantur ordinalia. Idem; *Quinto quoque anno Sicilia tota cen-*
4. Verr. *ſetur.* Sic, *tertio quoque verbo ſolœciſmum facit.*

Legitur & cum comparativis, maximè accedentibus adverbiis Eò, & Quò. Cicero pro Roſc. Com. *Quo quiſque eſt ſolertior, & ingenioſior, eò docet iracundius, & laborioſius.*

---

## *QUONIAM.*

QUoniam, cauſam certam ferè ſignificat, & Indicativo jungitur. Cic. pro Planc. *Quoniam tu ita vis, nimium me gratum concedam.*

## INTERIECTIONIS Conſtructio.

### O.

O Tribus caſibus adjungitur. Nominandi. Terent. Phorm. *O vir fortis, atque amicus.* Accuſandi. Cicero Terent. *O me perditum, O me afflictum.* Vocandi. Terent. And. *O Dane, itane contemner abs te?* Lib. 14.

---

### *APPENDICES TERTII Generis.*

I.

INterdum O, omittitur cùm nimirum levior eſt affectus. Cicero in Piſon. *Miſerum me, cum hæc me peſte, atque labe confero.* Idem Att. *Me cæcum, qui hoc antè non viderim.* Lib. 19.

II.

O, non ſolùm cùm adverbium eſt Vocandi, Vocativo adhæret, verùm etiam cùm eſt Interiectio. Idem in Piſon. *O paterni generis oblite, materni vix memor.*

---

### *HEU, PRO.*

HEu, & Prò, modò Nominandi, vel potiùs Vocandi caſum poſtulant. Virg. *Heu pietas, heu priſca fides.* Æn. 6. Livius: *Tantùm, prò dolor, degeneravimus à parentibus noſtris.* 2. Bell. Pun.

Modò Accuſandi. Cicer. in Anton. *Heu me miſerum, cur Senatum cogor, quem ſemper laudavi, reprehendere?* Phil. 7. Idem in Verr. *Pro Deum, hominumq; fidem.* Lib. 2.

## APPENDICES TERTII
Generis.

I.

Phil. I. PRò, apud Ciceronem apertiſſimè Vocativum habet. *Quæ enim res unquam, prò ſanctè Jupiter, non modò in hac urbe, ſed in omnibus terris eſt geſta major.*

II.

Heu, etiam Dativo gaudet. Plaut. Milit. *Heu mihi, nequeo quin fleam.* Idem Mercat. *Heu miſero mihi.*

---

## HEI, VÆ.

HEi, væ, Dativo gaudet. Terent. Heaut. *Heu miſero mihi.* Idem; *Væ miſero mihi.* Idem; *Hei mihi, laudo: tandem perdoluit; vires.*

---

## APPENDIX TERTII
Generis.

I.

HEi, interdum Vocativo additur. Plaut. Aul. *Hei Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis.*

II.

Cedo, (cùm verbum ſit Imperativi modi, non eſt cur Interjectionibus adnumeretur) poſtulat Ac-
6.Verr. cuſativum. Cicero; *Cedo tabellas.*
3.Verr. Vel Dativum cum Accuſativo. Idem; *Cedo mihi leges Atinias.*

CON-

## CONJUNCTIONIS CONSTRUCTIO.

COnjunctiones Copulativæ, & Disjunctivæ; cum ad idem verbum referuntur, ſimiles caſus connectunt.

Cicero in Anton. *Quis non doleat interitum talis & viri, & Civis?* Phil. 2. Salluſt. *Divitiarum, & formæ gloria fluxa, atque fragilis eſt.* Bel.Cat. Cicer. de Senect. *Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, olivetorumque ſpecie dicam?*

---

### *QUAM, NISI, AN, PRÆTERQUAM.*

QUàm, Niſi, An, Præterquam, eoſdem itidem caſus copulant.

Cicero Att. *An exiſtimas ab ullo malle me legi, probarique quàm à te;* Lib. 3. Idem pro Seſt. *Quem unquam Senatus Civem, niſi me, nationibus exteris commendavit?* Idem de Orat. *Refert etiam qui audiant, Senatus, an Populus judicet:* Ibidem. Idem in Catil. *Pro tantis rebus nullum à vobis præmium poſtulo, præterquam hujus diei memoriam ſempiternam.* Invect. 3

---

### *EXCEPTIO.*

ALiquando huic conſtructioni certa dictionum proprietas obſtat. Ut, *Fui Romæ, & Athenis. Aut Brunduſii, aut Sulmone mortuus eſt. Emiſtine librum centuſſe, an minoris? Malim Panormi, quàm Syracuſis eſſe.*

## *ETSI, TAMETSI,* *Quamquam.*

ETſi, Tametſi, Quamquam, in principio ſtatim ſententiæ Indicativum poſtulant.

Lib. 1. Cicero pro Milon. *Etſi vereor, Judices, &c.* Idem
Lib. 10. Len. *Tametſi nihil fuit optatius.* Idem Planc. *Quamquam gratiarum actionem a te non deſiderabam.*

Alibi etiam ſubjunctivum admittunt.

Lib. 1. cap. 8. Quinctil. *Cæli verò diſcentes, quamquam receptum ſit & Chryſippus non improbet, minimè velim.*

Frequentiùs tamen hæc etiam in medio & fine
Lib. 15. periodi cum Indicativo jungitur. Cicer. ad Caſſ. *Præpoſteros habes Tabellarios, etſi me quidem non offendunt, ſed tamen cùm à me diſcedunt, efflagitant litteras.* Idem pro Sext. Roſc. *Quod tametſi miſe-*
Lib. 15. *rum, & indignum eſt, ferret tamen æquo animo.* Idem Caſſ. *In integro res nobis erit, quamquam qui cum loquor.*

---

## *ETIAMSI, QUAMVIS,* *Licet, Ut, pro Quamvis.*

ETiamſi, Quamvis, Licèt, Ut, pro quamvis, Subjunctivo gaudent.

Cic. de Amicit. *Omnia brevia tolerabilia eſſe debent, etiamſi maxima ſint.* Idem in Anton. *Homines, quamvis in rebus turbidis ſint, tamen ſi homines ſunt, interdum animis relaxantur.* Idem poſt red. in Senat. *Tantus veſter conſenſus de ſalute mea fuit, ut, licet corpus abeſſet meum, dignitas in patriam revertiſſem.* Idem pro Quint. *Ut ſumma haberem cætera, temporis quidem certè vix ſatis habui.*

## APPENDIX.

SI, pro Quamvis, Conjunctivo jungitur. Terent. Eunuch. *Redeam? non ſi me obſecret.*

## NE, CAUSALIS.

NE, cauſalis Conjunctivum amat. Teren. And. *Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.* Idem Eun. *Nunc metuo fratrem, ne intus ſit.*

## UT, PRO NE.

UT, poſt verba Vereor, Timeo, Metuo, eleganter ponitur pro Ne.

Terent. Phorm. *At vereor, ut placari poſſit.* Cic. ad
Terent. *Omnes labores te excipere video: timeo ut* Lib. 14.
*ſuſtineas.* Terent. Andr. *Perii, metuo, ut ſubſtet hoſpes.*

## NE NON pro NE.

POſt eadem verba, Ne Non, etiam pro Ne po-
nitur. Cicer. Att. *Si manet, vereor ne exerci-* Lib. 7.
*tum firmum habere non poſſit.* Ad eund. *Timeo ne non* Lib. 9.
*impetrem.* Item pro Milon. *Cur igitur hos manumiſit? metuebat ſcilicet, ne indicaretur, ne dolorem perſerre non poſſet.*

---

## APPENDIX

SI tertiam addideris negationem, te omni metu
liberum ſignificabis: Idem in Verr. *Non ve-* Lib. 6.
*reor, ne officium Pub. Servilio non probem;* hoc eſt, *Non dubito, quin hoc officium meum Pub. Servilio ſim probaturus.*

## UT NE, PRO NE.

Lib. 3. UT ne pervenuſtè ponitur pro Ne, Cicer. in
Lib. 2. Verr. *Imperant, ut ne jurent.* Idem ad Q.
Lib. 3. Frat. *Opera datur, ut judicia fiant.* Idem Brut. *Ut ne quid meorum tibi eſſet ignotum, animadverti te operam dare.*

## NI, NISI, SI.

NI, Niſi, Si, tum Indicativum, tum Conjunctivum amant.

Terent. And. *Mirum ni domi eſt.* Idem Phorm. *Ni noſſem cauſam, crederem vera hunc loqui.* Cic. de Amic. *Ortum quidem amicitiæ videtis, niſi quid adhuc fortè vultis?* Ibidem: *Niſi immortalitatem optare vellet. Quid non eſt adeptus, quod homini fas eſſet optare?* Terent. And. *Si illum relinquo, ejus vitæ timeo; ſin opitu-*
Lib. 13. *lor, hujus minas.* Cicero Att. *Si hortos inſpexeris, dederis quod ad te ſcribam: ſin minùs, ſcribam tamen aliquid.*

## QUOD, CAUSALIS.

QUod, cùm cauſam, ac rationem reddit, tam Indicativo, quàm Subjunctivo gaudet.

Lib. 3. Cic. Att. *Feciſti mihi pergratum, quòd Serapionis*
Lib. 1. *librum ad me miſiſti.* Idem eid. *Utinam illum diem vi-*
Lib. 9. *deam, cùm tibi gratias agam, quòd me vivere coegiſti.* Idem eid. *Admiratus ſum quòd ad me tua manu ſcripſiſſes.*

## APPENDIX.

VErbum Videor, conjunctionem Quòd refugit. Ne ergo dixeris: *Videtur mihi quòd ſum doctus, quòd es doctus, quòd ille eſt vir doctus.* Sed: *Videor mihi eſſe doctus; Videris mihi eſſe doctus; Ille videtur ſibi eſſe doctus.*

Et

Et numero multitudinis eodem modo : *Videmini nobis eſſe docti : videmini vobis eſſe docti , &c.*

Cicer. Att. *Amens mihi ſuiſſe videor.* Idem eidem: *Relegatus mihi videor , poſteaquam in Formiano ſum.* Idem in Anton. *Neſcio, quid turbatus mihi eſſe videris.* Cic. Att. *Sol excidiſſe mihi è mundo videtur.* Lib. 9. Lib. 1. Phil. 2.

## *QUIA.*

QUia , pro Quòd ; utrumque modum admittit. Cicer. de Amic. *Recordatione noſtræ amicitiæ ſic fruor , ut beatè vixiſſe videar , quia cum Scipione vixerim.* Idem in Verr. *Quarta autem eſt urbs , quæ quia poſtrema ædificata eſt , Neapolis nominatur.* Lib. 6.

Aliæ præterea ſunt particulæ, quarum uſum , uſus ipſe optimus magiſter, te ſine tædio , progrediente tempore , docebit.

## DE FIGURATA CONSTRUCTIONE.

ORatio tres virtutes habere debet , ut Emendata , ut Dilucida , ut Ornata ſit; quibus virtutibus totidem vitia contraria ſunt. Nam Emendatæ Barbara : Dilucidæ Obſcura : Ornatæ Inornata adverſatur.

### *BARBARÆ ORATIONIS VITIA.*

DUo ſunt vitia , quibus oratio Barbara , atque ruſtica efficitur ; Solœciſmus , & Barbariſmus, quæ, qui purè, ac emendatè loqui volet, omni contentione, velis, ut ita dicam , remiſque fugiet.

*QUID*

## *QVID SIT SOLOECISMVS, & quot modis fiat.*

1\. Vitii primum membrū. SOlœciſmus, Conſtructionis, atque emendatæ orationis, de qua hactenus egimus, hoſtis infeſtiſſimus, eſt vitioſa partium orationis compoſitio. Is fit quatuor modis.

Adiectione, cùm aliquid orationi contra præcepta Grammaticæ adiicitur; ut *Scribo cum calamo: Ludo cum pila.*

Detractione, cùm aliquid eodem modo detrahitur: ut, *Eo forum: Redeo agro: nec hoc fecit* pro, *Ne hoc quidem fecit.*

Tranſmutatione cùm partium orationis ordo turbatur, Ut, *Quoque ego: enim hoc volui: autem non habuit.*

Immutatione, cùm pars una orationis pro alia ponitur; ut *Stulti grave ferunt res adverſas: Grave*, pro *graviter*, nomen pro adverbio.

Fiunt Solœciſmi etiam per cæteras orationis partes. Item per ea, quæ cognita ſunt, id eſt, ejuſdem generis, ac partis, Ut, *Eo intus; Sum intro. Quid hoc agis? Quando hic veniſti? Scripſitne Cicero hanc orationem, aut Hortenſius? Aut* pro *An. Non feceris cuiquam injuriam*, pro *Ne. Eo apud forum, &c.*

Denique fiunt & per ea, quæ partibus orationis accidunt.

Per genera; ut, *Sapientes læto fronte res adverſas ferunt.*

Per caſus; ut, *Quò is; Roma; Venio Brunduſii.*

Per numeros: ut ſi unum ad te vocans dicas, *venite.*

Per perſonas; ut ſi quempiam honoris cauſa ita alloquaris, *Sedeat, Accedat;* pro *ſede, accede.*

Per modos: ut, *Peto à te, ut mihi opem fers*, pro *feras.*

Per genera verborum; ut, *Mox redeam*, pro *redibo.* Ponitur enim activum pro neutro.

## APPENDIX.

Fuerunt, ut ait Quinctil. qui Adiectionis vitium, Pleonaſmum. Detractionis Eclipſin; Tranſmutationis Anaſtrophen appellarint, negantes hæc vitia ſpecies eſſe Solœciſmi.

---

## QVID SIT FIGVRATA.

CUm apud viros doctos, & qui purè loquendi laude floruerunt, aliquid legerimus, quod Grammaticorum legibus repugnare videatur, non continuò exiſtimabimus eos Solœciſmum feciſſe, cùm ipſorum auctoritate, teſtimoniiſque ſoleant Grammatici ipſi ſua præcepta confirmare. Nam ſunt quædam, quæ faciem quidem Solœciſmi habent, vitioſa tamen non ſunt.

Hoc novum loquendi genus Figura verborum, aut ſermonis, aut orationis, ut Græci loquuntur, ſchimalexeos appellatur.

---

## QVID FIGVRA.

ESt enim Figura nova loquendi ratio a trito, & vulgari ſermone remota, quæ ferè ratione aliqua usùque diſertorum nititur.

---

## ENALLAGE.

ENallage Figura eſt, cùm pars una orationis pro alia ponitur.

Cic. Att. *Quam turpis eſt aſſentatio, cùm vivere ipſum turpe ſit nobis*; pro, *vita ipſa*. Idem eid. *Philotimus non modò nullus venit*, pro, *non venit*. Terent. And. *Ita facto opus eſt*; pro, *facere*.

AP-

## *APPENDICES.*

### I.

In Tiber. SUnt & alia nomina, quæ pro adverbiis ponun-
cap. 1. tur. Ut, *Recens, ſublimè, frequens:* Svet. *Inde*
2.deDiv. *Romam recens conditam, cum magna clientum cater-*
deAmic. *va commigravit.* Cicer. *Eaque ſcuta, quæ fuerant ſu-*
*blimè fixa, ſunt humi inventa.* Idem: *Venio in Senatum frequens.* Sic, *Torvum, horrendum,* & alia id genus apud Poetas.

Contrà, Adverbium aliquando partes nominis
Lib. 5. agit. Plaut. Mercat. *Bene ſit tibi.* Cicero Att. *Malè Antonio, ſi quidem Buthrotiis moleſtus eſt.* Sic, *Sat, ſatis, abundè, partim.*

### II.

Nomen item locò interjectionis indignantis poni-
4.In Cat. tur: Cic. *Quæ, malum, fuit iſta amentia?*

Verbum quoque locò interjectionis blandientis.
Lib. 5. Cicero Att. *Amabo te, incumbe in eam rem, & ad me ſcribe.*

---

*Fit etiam enallage per attributa partium Orationis.*

PEr Caſus. Cicero pro Sext. Roſc. *Duo ſunt Titi Roſcii, quorum alteri Capitoni eſt cognomen.*

Lib. 10. Per numeros. Plin. *In Africa magna pars ferarum*
cap. 37. *æſtate non bibunt, inopia imbrium.*

Per modos. Terent. And. *Si te æquo animo ferre ac-*
Lib. 2. *cipiet, negligentem feceris.* Cicero Att. *Reſpiraro, ſi te videro.*

Lib. 3. Per tempora. Idem in Verr. *Unum oſtende, in tabulis aut tuis, aut patris tui emptum eſſe, viciſti.*

AP-

## *APPENDIX.*

HUjus figuræ beneficio ſolvent pueri varios no-
dos, quibus interdum conſtricti tenentur,
maximè cum in Poetas inciderint. Virgil. *Proice te-* Æn. 6.
*la manu ſanguis meus*: Nominandi, pro Vocandi,
caſus poſitus. Idem; *Et celſam Butbroti adſcendimus* Æn. 9.
*urbem.* Genitivus pro Accuſativo. *Butbrotum urbem.*
Item: *Gratior & pulchro veniens in corpore virtus* Æn. 5.
*Adjuvat*: Ablativo uſus pro Accuſativo, Gram-
matici Antiptoſin propriè appellant, cùm caſus pro
caſu ponitur.

Genus genere permutatur. Plin. *Nube gravida* Lib. 18.
*candicante, quod vocant tempeſtatem albam, grando* cap. 35.
*imminebit*; pro *quam.*

Reperitur & in perſonis hæc permutatio, ſed ra-
riùs. Terent. Phorm. *Geta, ſi quis me quæret rufus.*
Da, *Præſtò eſt, deſine,* pro *præſto ſum.*

Permutantur denique verborum genera.

Virg. *Pictis bellantur Amazones armis: Bellantur* Æn. 11.
pro *bellant.*

---

## *ECLIPSIS.*

EClipſis figura eſt, cum id, quod in oratione
deeſt, foris omnino petendum eſt.

Cicer. ad Att. *Ego, ſi Tiro ad me, cogito in Tuſcula-* Lib. 1.
*num.* Idem in Verr. *Ridere convivæ, calumniari ipſe* Lib. 5.
*Apronius.* Idem Att. *Quid mihi auctores? advolone,* Lib. 14.
*an maneo?* Idem pro Planc. *Pro uno filio, duo patres*
*deprecamur.*

## *APPENDIX.*

HÆc figura latiſſimè patet, ac ferè per omnes
orationis partes manat. Nam deſideratur in-
terdum Nomen. Cicer. Att. *Statua, quæ ad Opis* Lib. 16.

*per te poſita in excelſo eſt.* Ubi accuſativus, Ædem,
vel Templum deeſt. Item Accuſativus Viam, aut
Lib. 6. Iter. Idem Att. *Nos in Caſtra properabamus, quæ abe-*
Lib. 16. *rant bidui.* Navem. Idem Tiron. *Nos eo die cœnati*
7. Bell. *ſolvimus.* Cœlum, Livius; *Nurſiæ ſereno ſatis con-*
Mac. *ſtabat nimbum ortum.*

In illis. *Decies ſeſtertium, Vicies ſeſtertium, Centies ſeſtertium*, & id genus cæteris, ad implendam orationem deſideratur (*centena millia*) Nam antiqui. *Decies centena millia ſeſtertium; centies centena millia ſeſtertium* dicebant. Poſtea uſus obtinuit, ut compendiosè, *Decies ſeſtertium centies ſeſtertium*, dicerent.

Nonnulli Scriptores, maximè poetæ, compen-
diosiùs loquentes, *Decies, vicies, centies*, tantùm
Lib. 5. dicunt. Mart. *Ducenties, accepit, & tamen vivit.*

Deſideratur non rarò Relativum Qui, Quæ,
Quod: ut Virg. *Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere colo-*
Æn. 1. *ni*; deeſt Accuſativus *quam.*

Verba frequenter abſunt. *Si Tiro ad me* (auditur, venerit) *cogito in Tuſculanum*; deeſt *proficiſci.*

Deſideratur & infinitum Eſſe. Terent. And. *Nonne id priùs communicatum oportuit?* In his, *Factum volo: nollem datum; Ego ne te viſum, aut auditum velim?* & cæteris ejuſdem generis, quæ crebro apud Terentium, alioſque auctores reperiuntur, videtur idem Infinitum deſiderari.

adQ.Fr. Participium, Scriptus, eleganter tacetur. Cicer.
Lib. 3. *Hoc inter cœnam Tironi dictavi, ne mirere alia manu*
Lib. 7. *eſſe.* Idem Att. *Tua manu erat epiſtola.*

Deſideratur conjunctio Etiam, non rarò. Cicer.
2. Verr. *Video non modò cæteros, ſed te ipſum totidem verbis di-*
*xiſſe.* Idem pro Planc. *Manilium non ſolum ignobilem, verùm ſine virtute, ſine ingenio.*

## *ZEUGMA.*

Zeugma figura eſt, cùm id quod in oratione

defi-

deſideratur, è proximo aſſumitur, manente eodem genere, numero, caſu, cæteriſque attributis.

Cicero in ult. paradox. *Nulla poſſeſſio, nulla vis auri pluris, quàm virtus eſtimanda eſt.* Idem pro C. Rabir. *Virtus, & boneſtas, & pudor cum Conſulibus eſſe cogebat.*

---

## *APPENDIX.*

SI id, quod aſſumitur ad orationem implendam, primum eſt, Protozeugma dicitur. Cicer. ad Att. Lib. 16.
*Egit pater, & filius, ut ibi ſponderem.*

Si medium, Meſozeugma. Auct. ad Heren. *Forma dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate.* Lib. 4.

Si poſtremum, Hypozeugma. Cic. ad Att. *Mibi & res, & conditio placet.* Lib. 12.

---

## *SYLLEPSIS.*

SYllepſis eſt, cùm id, quod in oratione deeſt, è proximo aſſumitur, mutato tamen genere, aut numero, aut caſu, aut aliquo è cæteris accidentibus.

Cicer. in Verr. *Riſus populi, atque admiratio om-* Lib. 6.
*nium facta eſt.* Livius; *Nulla expeditio, nullum eque-* 7. Bell.
*ſtre prælium ſine me factum eſt.* Cic. ad Q. Frat. *Ille ti-* Mac.
*more, ego riſu corrui.* Livius; *Nemo miles Romanus* Lib. 2.
*magis aſſiduus in Caſtris fuit, quam ego, fratriſq; mei.* 7. Bell.
Mac.

---

## *APPENDIX.*

CUm genus mutatur, Syllepſis dicitur per genera. Cicer. *Plenum forum, & baſilicas iſtorum hominum videmus.* Per caſus, cùm variatur caſus. Terent. Adelph. *Verùm ſi augeam, aut etiam adiutor ſim ejus iracundiæ.* A Genitivo, iracundiæ, ſumitur Accuſativo, iracundiam, ut ſit plena oratio. *Verùm ſi augeam iracundiam, &c.* Idem

pro

prologo Andriæ: *Poeta cum primum animum ad ſcribendum appulit.*

*Id ſibi negotii credidit ſolùm dari.*

*Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.*

Plena oratio; *Populo ut placerent fabulæ, quas fabulas feciſſet.* Quo modo non raro loquuntur auctores,
1. Bell. Gal. antecedens nomen repetentes. Cæſar; *Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire poſſet.*

Cùm Relativum antecedens eodem genere, numero, & caſu præcedit, figurata eſt conſtructio, ſcilicet per Syllepſin.

Livius: *Quem ceperant exules montem, herbidus, aquoſuſque fuit.* Recta oratio eſt, *Mons, quem montem ceperant exules, &c.*

Aliquando antecedens præcedit relativum, ſed tunc durior redditur oratio. Terent. Eunuch. *Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas dedit?* Virgi-
Æn. 7. lius; *Urbem, quam ſtatuo, veſtra eſt.* Si dixiſſent *Quem dediſti nobis Eunuchum, quas turbas dedit? Quam ſtatuo urbem, veſtra eſt*, Syllepſis tantùm eſſet per caſus. Vide infrà Anaſtrophen.

Lib. 1. Per numeros. Cic. ad Q. Frat. *Frons, oculi, vultus, perſæpè mentiuntur; oratio verò ſæpiſſimè.*

Per perſonas. Cic. ad Cæſar; *Suſtulimus manus & ego, & Balbus.*

Interdum tertia perſona primæ præponitur, mo-
7. Bell. Mac. deſtiæ cauſa. Livius; *Pater, ego, fratreſque mei non in Aſia tantùm, ſed etiam procul ab domo Ætolico bello terra, mariq; pro vobis arma tulimus.* Secunda primæ. Plaut. Rud. *Quot ſunt? totidem quod tu, & ego.*

Lib. 5. Per modos. Lucejus ad Cicer. *Ego valeo, ſicut ſoleo: paulò etiam deteriùs, quàm ſoleo*: ſimul auditur, *valere.*

Pro tempora, ut ſi dicas; *Elegantiùs nunc loqueris, quàm ſuperioribus annis.* Aſſumendum, *loquebaris ad implendam orationem.*

Non ſolùm fit Syllepſis per ea, quæ partibus orationis accidunt, ſed etiam per ipſas orationis partes,

tes,

tes, obſcuriùs tamen: cùm eadem pars orationis, ut integra ſit oratio, interim repetitur, eadem quidem voce, ſed diverſa ſignificatione. Juſtin. *Provolutæ deinde genibus Alexandri, non mortem, ſed ut Darii corpus ſepelirent, dilationem mortis deprecantur.* Verbum *Deprecantur*, priore membro ſignificat *Recuſare*, (*non mortem deprecantur*, hoc eſt, *non recuſant*) poſteriore verò *Obſervare*.

## *PROLEPSIS.*

PRolepſis eſt, cùm dictio aliqua totum ſignificans præceſſit, quæ rurſus in partibus intelligitur, neque explicatur.

Ut, *Duo Reges Romam auxerunt. Romulus bello, Numa pace.* Livius: *Ita duo deinceps Reges, alius alia via; Ille bello, hic pace Civitatem auxerunt.* Salluſt. *Exercitus hoſtium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obſtant.* 1.abUrb. Bell.Cat.

## *APPENDIX.*

IMplicitam Prolepſin quidam vocant, in qua aliquid deeſt, totum nimirum, aut partes; Totum. Plaut. Stich. *Alius alium percontamur.* Partes. Salluſt. *Ea tempeſtate cœpere ſe quiſque magis extollere.*

## *ARCHAISMOS.*

ARchaiſmos conſtructio eſt, quâ priſca vetuſtas potiſſimùm uſa fuit.

Terent. Eunuch. *Neſcio quid profectò, abſente nobis, turbatum eſt domi.* Idem. ibid. *Eiicienda eſt, hercle, hæc animi mollities, nimis me indulgeo.* Plaut. Milit. *Jura te non nociturum eſſe hominem de hac re neminem.* Cicer. in Verr. *Hanc ſibi rem præſidio ſperant futurum.* Lib. 5.

## *HELLENISMUS.*

HEllenifmus eſt conſtructio, quæ Græci ſermonis leges, non Latini obſervat.

Lucejus ad Cicer. *Si ſolitudine delectaris cùm ſcribas & agas aliquid eorum, quorum conſueviſti, gaudeo.*

Eclog. 5. Virg. *Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.*

Ibidem. Idem; *Triſte lupus ſtabulis; maturis frugibus imbres;*
*Dulce ſatis humor; depulſis arbutus hœdis.*

Æn. 1. Idem; *Os humeroſque Deo ſimilis.*

Æn. 2. Idem; *Hæc fatus, latos humeros, ſubiectaque colla*
*Veſte ſuper, fulvique inſternor pelle leonis.*

---

## *DE BARBARISMO.*

Barbariſmus eſt dictio, aut omnino barbara, aut Latina quidem ſed vitioſa ſcripto, vel pronuntiatione.

Barbara omnino, & peregrina, ut *Perla*, pro *Unione*; *Aviſo*, pro *admoneo*, alia generis ejuſdem.

Latina dictio vitioſa fit pluribus modis.

Per genera, ut *Gladia*, pro *Gladii*.

Per numeros, ut *Scopa*, pro *ſcopæ*, *Tritica*, pro *triticum*.

Per declinationem; ut *fames famei*, pro *famis*; *Vaſibus*, pro *Vaſis*.

Per conjugationem, ut *Statui*, pro *ſteti*; *Legebo*, pro *legam*; *Veneravi*, pro *veneratus ſum*.

Diviſione, cum dividimus conjuncta; ut *Syluæ*, pro *Sylvæ*: *diſſoluo*, quatuor ſyllabarum, pro *diſſolvo*, trium.

Complexione, cùm diviſa conjungitur; ut *Phæton*, pro *Phaëton*.

Adiectione litteræ, ut *Follium*, pro *folium*; *Patruum*, pro *Patrum*; *Præcor*, pro *precor*, *Honus*, pro *onus*; *Circumdabo*, penultima longa, pro brevi; *Abundabo*, brevi, pro longa.

Detractione, ut *Santus*, pro *Sanctus*; *tempta*, pro *contempta*; *preeſt*, pro *præeſt*; *Odie*, pro *hodie*; *fecundata*, penultima brevi, &c.

Immutatione, ut *Set*, pro *Sed*; *olli*, pro *illi*; & ſimilia.

Trajectione, ut *interpetror*, pro *interpretor*.

Fiunt

Fiunt denique barbariſmi, tenore, cùm accentu alio pro alio utimur; ut ſi præpoſitiones à ſuis caſibus ſeparemus, eaſque tenore acuto vel inflexo pronuntiemus, ut *Ad eum*, *ab illo*, *à quibus*, *circum littora*; Cum gravi accentu diſſimulata diſtinctione, ſimul cum ſuis caſibus pronuntiandæ ſint, tamquam ſi una eſſet vox.

## ADMONITIO.

PUer. cùm leget apud Virgilium; *Nec ſpes liber-* Eclog. I.
*tatis erat, nec cura peculi;* Aut. *Troas relliquias* Æn. I.
*Danaum, atque immitis Achillei.* Aut. *Alitum, pe-* Æn. II.
*cudumque genus ſopor altus habebat.* Aut, *Italiam fato* Æn. I.
*profugus, Lavinaque venit Littora.* Aut, *Unius ob no-* Ibid.
*xam, & furias Ajacis Oilei.* Cùm hæc, inquam, & ſimilia leget, ne putet Principem Poetarum barbariſmum feciſſe: Multa enim poetis permittuntur, quæ cæteris ſcriptoribus denegantur.

Neque miretur, ſi apud M. Tullium Oratorum Principem, *Liberum*, *ſeſtertium*, *cognoram*, *norunt*, aliáſque id genus verborum imminutiones offenderit: neque enim barbariſmi ſunt detractione: ſi quidem à conſuetudine, certiſſima loquendi regula, impetratum eſt, ut etiam Oratoribus ſic loqui liceret.

## QUID INTER BARBARISMUM, & Solœciſmum interſit.

I.

Barbariſmus fit in ſingulis verbis: Solœciſmus in contextu, vel complexu orationis.

II.

Barbariſmus dictionem unam fœdat; Solœciſmus compoſitionem corrumpit.

III.

Barbariſmus eſt dictio una, aut peregrina, aut latina quidem, ſed corrupta; Solœciſmus, eſt vitioſa compoſitio.

Itaque, in Solœciſmo ſingulæ voces ſunt latinæ; ſed inter ſe diſcrepantes, & contra Grammaticæ præcepta compoſitæ.

## *ADMONITIO.*

CAveant adoleſcentes, ne viros doctos barbariſmi accuſent, cùm multas dictiones variè ab eruditis hominibus ſcriptas repererint; cujuſmodi ſunt, lethum, letum: lacrimo, lachrymo: autor, author, auctor: Vergilius, Virgilius: littus, litus: littera, litera: imò, immò: Ne putent errorem eſſe factum, ſi quando hæc, & ſimilia aliter ſcripta oſfenderint, quàm ipſi didicerunt.

## *OBSCURÆ ORATIONIS VITIA.*

I.

VErba inuſitata, & à conſuetudine quotidiani ſermonis remota, obſcuritatem, & tenebras orationi afferunt. Ut, Si quis *oppidò* pro *valdè* dicat: *Averuncare* pro *avertere*.

II.

Eandem obſcurat vitium, quod à Græcis Acyron, à Latinis Improprium dicitur, Ut, *Sperare*, pro *timere*.

Virgil. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.*

Item

## III.

Item Ambiguitas, quæ Amphibolia Græcè appellatur; idque vel in uno verbo, ut *Taurus* animal ſit, an mons, an ſignum in cœlo, an nomen hominis, an radix arboris, niſi diſtinctum, non intelligetur. Vel in ſermone: Ut, *Audivi Chremetem percuſſiſſe Demeam.*

## IV.

Obſcuratur præterea oratio, cùm ſermoni deeſt aliquid quò minùs plenus ſit μοίωσιρ, hoc eſt, diminutionem; vel contrà, cùm inani verborum turba, atque copioſa loquacitate obruitur oratio, Periſſologiam vocant.

## V.

Impeditur denique ſermo, quò minùs dilucidus ſit, ſi longa parentheſis interijciatur; aut ſi verba confuſa, permiſſaque longiùs traijciantur. Horat. Serm.1.Satyr.5. *Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.* Rectus enim ordo eſt; *Namque pila ludere, inimicum eſt lippis, & crudis.* Quod vitium Synchyſis, vel Hyperbaton obſcurum, hoc eſt confuſa, ac perturbata verborum tranſgreſſio vocatur. Si hæc vitia vitabimus, dilucida erit oratio.

---

## *APPENDIX.*

CUm orationis ſtructura decoris gratia variatur neglecto ſimplici ſermonis ordine; non vitium eſt, ſed virtus, quæ Hyperbaton appellatur, hoc eſt, tranſgreſſio Verborum. Cicer. pro Cluent. *Animadverti, Judices, omnem accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes: In duas partes diviſam eſſe;* ſimplex erat ordo, ſed durus, & incomptus.

## *HYPERBATI ALIQUOT SPECIES.*

I.

HYperbati, ſive tranſgreſſionis aliquot ſunt ſpecies: Anaſtrophe, eſt duorum verborum ordo præpoſterus; ut, *Mecum, tecum, ſecum, nobiſcum, quibus de rebus.*

Anaſtrophe illa; *Urbem quam ſtatuo veſtra eſt. Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas dedit?* pro, *Quam urbem ſtatuo: Quem Eunuchum dediſti nobis*, admodum dura eſt.

II.

ὕϛερον πρότερον, cùm ſensûs ordo præpoſterus
Æn. 2. redditur. Virg. *Moriamur, & in media arma ruamus*; pro *In media arma ruamus, & moriamur.*

III.

Timeſis, cùm verbum compoſitum dividitur, aliqua dictione interpoſita.

Lib. 9. Cicero Att. *Per mihi gratum erit, ſi id curaris ad me perferendum.*

Idem de Senect. *Omnia memoria tenebat, non domeſtica ſolum, ſed etiam externa bella.* Ejuſdem generis ſunt illa: *Rem verò publicam penitus amiſimus. Præclarum eſt pro patria, reque publica mortem oppetere.*

IV.

Parentheſis, eſt brevis ſenſus ſermoni, antequam abſolvatur, interjectus.

Phil. 3. Cicero in Anton. *O præclarum cuſtodem ovium (ut aiunt) lupum.* Livius: *Tantum (prò dolor) degeneravimus à parentibus noſtris.*

## INORNATÆ ORATIONIS VITIA.

I.

Cacophaton, eſt obſcœnum dictum, ſive id uno verbo, ſive pluribus, ſive deformi litterarum concurſu fiat.

II.

Tapinoſis eſt, qua rei magnitudo, vel dignitas minuitur; ut, ſi quis *parricidam*, *hominem nequam* vocet.

III.

Tautologia, eſt ejuſdem verbi, aut ſermonis iteràtio. Verbi, ut, *Nam cujus rationis ratio non extat, ei rationi ratio non eſt fidem habere.* Sermonis; ut, *Ibant qua poterant, qua non poterant, non ibant.* Vitanda eſt & nimia ejuſdem litteræ aſſiduitas; ut, *quidquam, quiſquam, cuiquam quod convenit, neget?*

IV.

Macrologia, eſt longior, quàm oportet, ſermo; Livius: *Legati, non impetrata pace, retrò domum, unde venerant, abierunt.* 6. ab Urb.

V.

Pleonaſmos eſt vitium, cùm ſupervacuis verbis oneratur oratio; ut, *Ego meis oculis vidi.* Satis eſt enim, *Vidi.*

VI.

Cavendum etiam diligenter eſt, ne conſonantes aſperè concurrant; ut, *S, ultima, cum X, proxima; ut Exercitus Xerſis.*

Durior etiam fit concurſus, ſi utraque ſeipſam ſequatur; ut, *Ars ſtudiorum; Rex Xerxes.*

Vitandi & crebri vocalium concurſus, qui vaſtam,& hiantem orationem reddunt;ut *Baccæ Æneæ amœniſſimè impendebant.Viro optimo obtemperaſti olim.*

Illud quoque vitium eſt, ſi multæ voces ejuſdem exitus in unum locum congerantur; ut, *Flentes, plorantes, lacrymantes, obteſtantes.*

Et ſi verbi prioris ultimæ ſyllabæ ſint primæ ſequentis; ut,*O fortunatam natam me conſule, Romam.*

## APPENDIX.

SI quando puer, apud graves Oratores aliquid offenderit, quod ſupervacaneum, atque otioſum eſſe videatur; ne id ſine cauſa factum eſſe putet. Adduntur enim interdum quædam affirmationis gratia. Terent.Adelph.*Hiſce oculis egomet vidi.*
Æn. 3. Virgil. *Vocemque his auribus hauſi.*

Adduntur & alia, quæ aut Conſuetudine, aut Auctoritate, aut Vetuſtate, ant Neceſſitate denique
Lib. 2. excuſantur. Cic.Att.*Ubi terrarum eſſes, ne ſuſpi-*
Lib. 9. *cabar quidem.* Idem eid. *Longè gentium abes.* Eidem;
Lib. 5. *A Brundiſio nulla adhuc fama venerat.* Idem de Se-
Lib. 9. nectute; *Adoleſcentulus miles profectus ſum ad Ca-*
Lib. 3. *puam.* Idem in Verr. *Cæteri hæredes adeunt ad Ver-*
Ibid. *rem:* Idem ad Q. Frat. *Diem ſcito eſſe nullum, quo die*
Lib. 3. *non dicam pro reo.* Idem in Verr. *Imperant, ut ne ju-*
Lib. 5. *rent.* Idem Marcell. *Frater tuus quanti me faciat,*
Lib. 15. *ſemperque fecerit, eſſe hominem, qui ignoret, arbitror neminem.*

## APPENDIX.

UT proprium Oratorum eſt ornatè, aptèque dicere, ita eorum eſt, de inornatæ orationis vitiis agere. Verùm quoniam Grammatici, etiam hanc partem attigerunt, non putavimus omnino prætermittendam eſſe intactam. Atque hæc de univerſa Conſtructionis ratione ſatis.

FINIS SECUNDI LIBRI.

# EMMANUELIS
# ALVARI
E Societate Jesu,

# GRAMMATICARVM INSTITUTIONUM
*Liber Tertius*;

## DE SYLLABARUM DIMENSIONE, &c.

EDITIO POSTREMA
A VARIIS ERRORIBUS EMENDATA;

TRIDENTI,

Ex Typographia Epiſcopali Joannis Paronii.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

# DE GRAMMATICA INSTITUTIONE LIBER TERTIUS.

## *DE SYLLABARUM DIMENSIONE*

SYllabæ fiunt vel ex una, vel pluribus litteris, ut i, e, runt.

Litteræ partim ſunt vocales, partim conſonantes.

Vocales ſunt ſex A, E, I, O, U, Y. Ex vocalibus fiunt ſex diphthongi, Æ, AV, EI, EU, OE, YI; ut Præmium, aurum, hei, Europa, pœna, Harpyia.

In diphthongis, A, O, Y, ſemper principes; i, & u, ſemper ſubditæ, E, & præit, & ſubit.

Conſonantes in Mutas, & Semivocales dividuntur.

Mutæ ſunt octo, b, c, d, g, k, p, q, t.

Semivocales itidem octo, f, l, m, n, r, ſ, x, z. Ex quibus quatuor ſunt liquidæ, l, m, n, r.

M, tamen, & N, raro liqueſcunt, idque in Græcis tantùm dictionibus, ut Tecmeſſa, Cycnus.

Duæ, x, & z, ſunt duplices, hoc eſt, valent duas conſonantes, x, cs vel gs, ut Dux, Rex.

Veteres, z, per duplex ss, reddebant, ut Maſſa, patriſſo, pitiſſo.

E, præpoſita liquidis l, & r, vim habet mutæ.

S, quamvis immunis, ac ſui juris ſit (neque enim inter liquidas, aut duplices numeratur) interdum tamen liqueſcit, ut ſuo loco dicemus.

H, ſintne littera, an adſpirationis nota, dubium, controverſùmque eſt.

J, in-

I, inter duas vocales poſita, conſonans eſt, atque duplex i, valet, ut *Major*, *peior:* veteres i, geminabant, *Maiior*, *Miio*, *Maiia*.

I, & V, cùm vocalibus præponuntur eàſque comprimunt, fiunt conſonantes, ut *Janua*, *iecur*, *conjicio*, *jocus*, *judex*; *Vates*, *velox*, *vita*, *vox*, *vultus*.

Jota Græcorum, nunquam eſt conſonans: quare *Jaſon*, *jambus*, *jaſpis*, & cæteris, quæ planè ſunt Græca, prima vocalis eſt.

Jod, apud Hebræos ſemper conſonans eſt, cùm vocalibus præponitur, ut JESUS, *Joannes*, *Jacobus*. Itaque qui hæc, atque alia ejuſdem generis nomina per I, conſonantem efferunt, optimè quidem pronuntiant: qui verò per vocalem, Græcos imitantur.

V, poſt Q, litteram ſemper liqueſcit, ut *Quare*, *quæro*, *&c.* At poſt g, & s, modo liqueſcit, ut *Lingua*, *langueo*, *anguis*, *extinguo*, *ſuadeo*, *ſuavis*. Modò integra eſt, ſuàmque vim retinet, ut *Exiguus*, *ſuus*.

Litteræ liqueſcunt cùm vim, robùrque vocalis, aut conſonantis amittunt.

---

## *SYLLABÆ PARTIM BREVES,*
### *partim longæ, partim communes.*

SYllabæ, quas temporibus metimur, aut ſunt breves, aut longæ, aut communes.

Tempus eſt ſpacium, intervallumque quo ſyllaba pronuntiatur. Syllaba brevis, ex uno tempore, atque ſpatio conſtat, ut *At*, *ſed*.

Longa, ex duobus, ut *Ab*, *En*.

Communis eſt, quæ in verſu cum brevis, tum longa eſſe poteſt, quales ſunt priores in *Atlas*, *Cyclops*; mediæ in *tenebræ*, *latebra*, *pharetra*.

Nulla vocalis apud Latinos perpetuò brevis, aut longa eſt. Apud Græcos, Epſilon, & Omicron, quæ e, & o, breve valent, perpetuò ſunt breves, ut

*Ori-*

*Origenes, Timotheus, Herodotus, Macedones.*

*η, & ω*, quæ e, & o, longum valent, ſemper ſunt longæ, ut *Eremus, Idolum.*

*η, & ω, non ſemper manent longæ, cùm ad nos tranſeunt: nam* πατήρ, μητήρ, ἕκτωρ, νεςώρ, *Pater, Mater, Hector, Neſtor; e, & o, litteras habent breves, quod de paucis, & ultimis ferè ſyllabis intelligendum.*

Virg. *At pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris.* Æn. 2.
Ovid. *Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.* Met. 12.

# PRÆCEPTA UNIVERSA DE SYLLABARUM BREVITATE AC LONGITUDINE.

## *PRIMUM DE VOCALI ante Vocalem.*

Vocalis ante vocalem, in Latinis dictionibus brevis eſt: *Puer, fuit, ruit.*

Virg. *Diſce puer virtutem ex me, verumq; laborem.* Æn. 12.
Idem; *Lucus in urbe fuit media lætiſſimus umbra.* Æn. 1.
Idem; *Urbs antiqua ruit multos dominata per annos.* Æn. 2.

## *EXCEPTIO I.*

Fio, I, habet longum, niſi ſequatur R, ut *Fiebam, fiam.*

Juven. *Fient iſta palam, cupiens & in acta referri.* Satyr. 2.

Sin R, ſequatur, breve eſt, ut *Fierem, fieri, confierem*

Vir-

Æn. 4. Virgil. — *nunc qua ratione quod inſtat.*
*Confieri poſſit, paucis adverte docebo.*

### *EXCEPTIO II.*

INterrogandi, ac Dandi caſus quintæ declinationis, E, ante I, producunt, ut *Diei*, *ſpeciei*, præter *Rei*, *ſpei*, *fidei*.

### *EXCEPTIO III.*

GEnitivus in Jus, habet, I, longum in ſoluta oratione; in carmine tum breve, tum longum, ut *Unius*, *illius*.

Præter Alterius, quod ubique I, habet breve, Alius verò longum.

Æn. 1. Virg. *Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei.*
Epiſt. 1. Horat. *Nullius addictus jurare in verba magiſtri.*

### *EXCEPTIO IV.*

OHe, priorem habet communem.
Martial. *Obe jam ſatis eſt, obe libelle.*

Lib. 4. Cai, Pompei, Vultei, & ſi qui ſunt ſimiles Vocandi caſus, penultimam habent longam.

Lib. 4. Martial. *Quod peto da Cai; non peto conſilium.*
de Pont. 4. Ovid. *Accipe Pompei deductum carmen ab illo.*
*Debitor eſt vitæ qui tibi, Sexte ſua.*

*PRæceptum hoc de Vocalibus, quæ ſunt in eadem dictione, accipiendum eſt, Nam de iis, quæ in diverſis ſunt poſtea agendum. Caius, Pompeius, Vulteius*

*tejus in recto per I, conſonantem ſcribuntur ; quæ interdum à Poetis in vocalem mutatur.*

*Martial.* Poſt Cajumq; Luciúmq; conſedit. Lib. 5.

*Scazon eſt. Id.* Pervigil in plumis Cajus ecce jacet. Lib. 9.

*Utrobique A, longum eſt , quod obiter notabis. Eadem licentia utuntur iidem Poetæ , cùm in vocandi caſu, I , conſonantem in vocalem vertunt. Si quidem nomina ius, ſyllaba finita in vocativo us, abiiciunt : Antonius , ò Antoni, ſic Cajus, Pompeius, ò Cai, ò Pompei: hoc idem Priſcianus lib.7. docet , atque I, conſonantem , Horatii teſtimonio probat.*

Durus, ait, Vultei nimis, attentuſque videris. Epiſt.1.

*Apud priſcos V , ante I , à verbis in uo, in præteritis producebatur.*

*Enn.* Annuit ſeſe mecum decernere ferro. Lib. 10.

Vide Priſci. *Hinc facilè intelligitur , quod Varro de Analog. ait : Quidam, inquit, reprehendunt, quòd pluit & luit , dicamus in præterito , & præſenti tempore , cum analogiæ ſui cujuſque temporis verba , debeant diſcriminare. Falluntur: nam eſt, ac putant, aliter, quòd in præteritis u, dicimus longum, luit, pluit; in præſenti breve, pluit, luit.* Lib. 2.

---

## *APPENDIX I.*

AEr, Chorea, Platea, Cytherea, Elegia, Darius , & alia hujus generis, quæ vocalem ante vocalem longam habent , Græca ſunt.

Ovid. *Terra ferras cepit, volucres agitabilis aer.* Met. 1.

Idem. *Sæpè ſub hac Dryades feſtas duxere choreas.* Ibidem.

Virg. *Parce metu Cytherea , manent immota tuorum Fata tibi.* Æn. 1.

Chorea, Platea, interdum à Poetis corripiuntur.

Virg. *Pars pedibus plaudunt choreas , & carmina dicunt.* Lib. 6.

Horat. *Puræ ſunt plateæ, nihil ut meditantibus obſtet.* Epiſt. 1.

*Belli ferratos poſtes, portaſque refregit.*

Interdum etiam producitur, ut *refloreo*, apud Silium.

Lib. 15. *Celſus ceu prima refloreſcente juventa.*
*Ibat conſul ovans.*

## APPENDIX II.

ABluo, Obruo, Sublevo, Adnitor, & cætera ex iiſdem præpoſitionibus compoſita, nunquam primam corripiunt: neceſſe eſt enim, ut muta & liquida, ad ſequentem vocalem ſpectent, ut *Tenebræ, latebræ, funebris, lugubris*. In Abluo, & cæteris, muta ad præcedentem vocalem pertinet.

*UT Vocalis ante mutam, & liquidam corripiatur, opus eſt, ut muta ſimul, & liquida ad ſequentem vocalem pertineant, alioqui corripi non poteſt. Conſonantes præpoſitionum ab, ad, ob, ſub, cum præcedente vocali junguntur. Vide Priſcianum lib.* 1.

## APPENDIX III.

M & N, rarò liqueſcunt, idque in Græcis dictionibus duntaxat, ut *Tecmeſſa*, *Cycnus*, *Terapnæ*, *Ichneumon*.

Lib. 8. Sil. *Ecce inter primos Terapnæo à ſanguine clauſi.*
Lib. 7. Mart. *Delectat Marium ſi pernicioſus Ichneumon.*

*LIquidæ apud Græcos, non ſolùm mutis ſubjectæ, ſed etiam ipſæ per ſe poſitæ vocalem brevem faciunt communem, ut in nominibus* ἄρες, ἀνὴρ, μέλος, *quos Perſius videtur fuiſſe imitatus; ut in prolog. Cantare credas Pegaſejum melos.*

*Apud eoſdem muta, t, poſt c, & p, interdum liqueſcit, ut in* δάκτυλος, αἰγύπτιος. *Quare mi-*

rum

*rum non eſt, ſi d, ejus cognata etiam apud Martial. li-quéſcat.* Lib. 5.

*Sardonychas, ſmaragdos, adamantas, jaſpidas uno.*
*Portat in articulo Stella, Severe, meus.*

---

## *EXCEPTIO III.*

I, Inter duas vocales, in compoſitis Bijugus, Quadrijugus, ſimplex conſonans eſt, non duplex: quare meritò præcedens vocalis corripitur.

Virg. *Interea biiugis infert ſe Lucagus albis.* Æn. 10.
Idem: *Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.* Georg. 3.

---

A*Bicit, adicit, obicit, ſubicit, ſimplici I, pro duplici ſcribuntur.*

*Juv.* Nunc abicit, ſæva dignum, veràque Charybdi. Sat. 15.
*Mart.* Si quid noſtra tuis adicit vexatio rebus. Lib. 10.
*Lucan.* Cur obicis Magno tumulũ, manẽſq; vagãtes? Lib. 8.
*Idem.* Ipſe manu ſubicit gladios, ac tela miniſtrat. Lib. 7.
*Virgil.* Tityre paſcentes à flumine reice capellas.

*Ubi e, & i, ut quidam putant, coaleſcunt in unam ſyllabam, quaſi, reice capellas.*

---

## *PRÆCEPTUM IV.*
### *de Præteritis Diſyllabis.*

PRæterita diſyllaba habent priorem longam, ut *Vidi, veni.*

Virgil. *Quos ubi confertos audere in prælia vidi.* Æn. 2.
Id. *Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus Dardaniæ.* Ibid.

---

## *EXCEPTIO.*

STo, do, ſcindo, fero, rapiunt bibo, findo priores.

Mart. *Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas.*

Æn. 1. Virg. *At pius Æneas per noctem plurima volvens.*

*VOcalis longa eſt aut natura, aut poſitione. Natura, cùm ipſa per ſe ſuapte natura producitur, nec conſonantium eget adminiculo, ut Ah, Heu, En: Poſitione, quæ cùm ſuapte natura brevis ſit, conſonantium vicinitate, ac beneficio producitur, ut E, in Terra, vicinitate ac beneficio R, litteræ geminatæ, producta eſt, cùm à tero dicta ſit, quod verbum priorem habet brevem.*

## *APPENDIX II.*

SI utraque conſonans, aut duplex fuerit in principio ſequentis dictionis, ferè nihil præcedentem vocalem brevem juvabit.

Met. 2. Ovid. ———————— *ſedebat*
*In ſolio Phœbus claris lucente ſmaragdis.*

Æn. 6. Virg. *Phœbe graves Troiæ ſemper miſerate labores.*

Æn. 3. Idem. *Jam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos.*

Lib. 2. Lucan. *Tales fama canit, tumidum ſuper æquora Xerſem Conſtruxiſſe vias.*

Lucente, Phœbe, nemoroſa, æquora, ultimas habent breves, licèt duæ conſonantes, aut una duplex ſit in principio ſequentium dictionum.

*QUę à Grammaticis contra hanc appendicem afferri ſolent, cæſura, aut ſyllaba communi excuſantur, cujuſmodi ſunt hęc, quę ſubiiciam.*

Satyr. 5. *Juven.* Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

Lib. 9. *Silius.* Immane ſtridens agitur, crebroque coacta
Vulnera bellatrix, &c.

Lib. 2. *Martial.* Et digna ſpeculo fiat imago tua.

Lib. 5. *Luc.* Aut pretio, quippe ſtimulo fluctuque furoris.

## *EXCEPTIO I.*

### *De Liqueſcentibus.*

VOcalis brevis ante mutam, & liquidam ejuſdem dictionis in carmine communis eſt, at in ſoluta oratione perpetuò corripitur, ut, *Volucris, Cyclops.*

Ovid. *Et primò ſimilis volucri, mox vera volucris.* Met. 13.
Virg. *Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.* Æn. 3.
Idem. *Vaſtoſque ab rupe Cyclopas proſpicio.* Ibidem.

---

HÆc eſt prima exceptio tertii præcepti. *Nam etiamſi duæ conſonantes vim habeant producendi vocalem brevem, tamen ſi prior fuerit muta, & poſterior liquida, in ſoluta quidem oratione liquida ſemper vim conſonantis amittit, quamvis in carmine interdum eam retineat; alioqui non produceret vocalem. Si tamen præcedens vocalis fuerit longa natura, qualem habent multa nomina, quæ à ſupinis penultima producta fiunt, ut lavacrum, ambulacrum, involucrum, volutabrum, nunquam corripitur. Ex recto ſæpe etiam cognoſcitur vocalis, ſitne longa natura, an brevis in obliquis: ſic patrem, agrum, caprum, judicamus habere priores breves natura; quia pater, ager, caper, eaſdem corripiunt. Matrem contrà fratrem, octobrem longas, quia rectus eaſdem habet longas.*

---

## *APPENDIX I.*

VOcalis ante f, & liquidas frequentiſſimè corripitur, ut, *Reflecto, reſluo, reflagito, refringo, refræno.*

Virg. *Nec priùs amiſſam reſpexi, animumq; reflexi.* Aen. 2.
Ovid. *Inque caput creſcit, longoſque reflectitur ungues.* Met. 5.
Idem. *Illa refrænat aquas, obliquaque flumina ſiſtit.* In Epiſt.
Horat. —— *poſtquam diſcordia terra.* Satyr. 4.

Nonnunquam ſoluta diphthongo Ei, in E, longum mutatur, ut *Cytereia, Cythereïa, elegeia, elegeïa.*

Met. 4. Ovid. *Exigit indicii memorem Cythereïa pœnam.*

Eleg. 3. Idem; *Flebilis indignos elegeïa ſolve capillos.*

---

## *APPENDIX II.*

IDea, Andreas, Sophia, Philoſophia, Symphonia, Etymologia, Orthographia, & alia quam plurima, vocalem ante vocalem corripiunt: licet eadem nomina, acuta penultima, multi viri docti more Græcorum pronuntient.

Lib. 1. Horat. *Ut Gratias inter menſas ſymphonia diſcors.*

---

*PRiſcian. Ubi de ei diphthongo agit, docet, poetas aliquando more Dorico, I, abiicere; inde Virg. Tela Typhoëa, penultima brevi dixiſſe, quamvis apud Græcos nomen ipſum adiectivum per diphthongum ei ſcribatur.*

Æn. 1. *Nate patris ſummi, qui tela Typhoëa temnis.*

*Interdum in E breve mutatur, ut idea, ſic Dorothea, Dorotheus, Andreas.*

---

## *PRÆCEPTUM II.*
### *de Diphthongis.*

DIphthongus longa eſt, tam in Græcis, quàm in Latinis dictionibus, ut *Æneas, Melibæus, præmium, laus.*

Æn. 1. Virg. *Miratur molem Æneas magalia quondam.*

Eclog. 1. Idem; *O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.*

Æn. 1. Idem; *En Priamus: ſunt hic etiam ſua præmia laudi.*

EX-

## EXCEPTIO.

PRæpoſitio Præ, compoſita, cùm vocalem præcedit, brevis eſt, ut *Præuro, præuſtus.*
Virgil. *Stipitibus duris agitur ſudibuſve præuſtis.* Æn. 7.
Præpoſitio Præ, nonnunquam producitur, ſequente vocali. *Statius.*
*Tunc verò Oeclides, quamquam jam certa ſequenti* Theb. 6.
*Præmia, cùm vacuus domino præiret Arion.*
*Ardet adhuc, cupiens vel inanem vincere currum.*
Mœotis ſemel correpta legitur. Ovid. 3. Triſt. Eleg. 12.
*Frigora jam Zephyri minuunt, annoque peracto.*

---

## PRÆCEPTUM III
### *de Poſitione.*

VOcalis ante duas conſonantes, vel unam duplicem ejuſdem dictionis, longa eſt Poſitione, ut *Terra, Araxes, Gaza, maiora, Troia.*
Virg. *Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis.* Æn. 1.
Luc. *Sub iuga jam Seres, jam barbarus eſſet Araxes.* Lib. 1.
Virg. *Arma virum, tabulaq; & Troja gaza per undas.* Æn. 1.
Idem; *Sicelides Muſæ paulò maiora canamus.* Eclog. 4.
Idem; *Hoſtis habet muros; ruit alto à culmine Troja.* Æn. 2.

---

## APPENDIX I.

SI altera conſonans fuerit in fine præcedentis dictionis, altera in principio ſequentis, vocalis nihilominus longa erit, ut, At, pius: A longum eſt poſitione duarum conſonantium t, & p, quamvis ſint in diverſis dictionibus.

P 2 Virg.

Lib. 3. Lucan.*Aut ſcidit, & medias fecit ſibi littora terras.*
Lib. 9. Virgil. —— *liquefacto tempora plumbo.*
*Diffidit, & multa porrectum extendit arena.*

## APPENDIX I.

COmpoſitum Abſcidi, habet penultimam communem.

Lib. 3. Luc.*Abſcidit impulſu ventorum adjuta vetuſtas.*
Lib. 4. Idem. *Abſcidit noſtræ multum fors invida laudi.*
Lib. 6. Idem.*Illa comam læva morienti abſcidit ephebo.*
Lib. 3. Mart..*Abſcidit vultus enſis uterque ſacros.*

*Abſcidit, cùm penultimam habet longam non à verbo abſcindo, ſed ex præpoſitione abs & cædo, æ, in i, longum mutata componitur; ut abſcedo, ex abs & cædo, & abſcondo, abs & condo. Abſcidi ab abſcindo, i, breve ſemper habet.*

## PRÆCEPTUM V.

*De præteritis geminantibus primam ſyllabam.*

CUm prima ſyllaba præteriti geminatur, eadem & ſecunda brevis eſt, niſi obſtent duæ conſonantes, ut *Tetigi, peperi, cecini.*

Georg. 4. Virg.*Tityre, te patulæ cecini ſub tegmine fagi.*

## EXCEPTIO.

EXcipiuntur cecidi, à cędo, pepedi, à pedo, in quibus ſecunda longa eſt, ut in iis, in quibus duæ conſonantes ſequuntur, ut, *Cucurri, tetendi.*

Satyr. 3. Juvenal. *Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,*
*Dat pœnas.*

PRÆ-

## PRÆCEPTUM VI.

*De Supinis diſſyllabis.*

SUpina duarum ſyllabarum habent priorem longam, ut, *viſum, motum.*
Virg. *Terribiles viſu formæ, Lætbumq; Laborq;* Æn. 6.
Idem. *Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.* Æn. 1.

---

## EXCEPTIO I.

*Ratum, ſatum, datum, citum, litum.*
AT reor, atque ſero, do, junge ciere, linoque *itum, rutum, quitum, ſitum.*
Ire, ruoque, queo, ſivi, rapuêre priores.
Virg. *Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.* Æn. 1.
Idem. *At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles.* Ibidem.
*Talis in hoſte fuit Priamo.* Valer. Flac. Lib. 3.
*Vulnus, & extrema ſonuit cita cuſpide caſſis.*
Ovid. *Hic ſitus eſt Phaethon currus auriga paterni.* Met. 2.

---

## APPENDIX I.

CItum, à cieo, ſecundæ declinationis priorem brevem habet, unde *Concitus, excitus*, penultima brevi.
Virg. *Altior inſurgens, & curſu concitus heros:* Æn. 12.
Ovid. de invidia.
*Nec fruimur ſomno, vigilantibus excita curis.* Met. 2.
Citum verò à Cio, quarti ordinis priorem producit, unde *concitus, excitus*, penultima longa.
Lucan. *Unde ruunt toto concita pericula mundo.* Lib. 5.
Id. *Rupta quies populis, ſtratiſque excita juventus.* Lib. 1.

Æn. 1. Virg. *Talia voce reſert, ò terque quaterque beati.*
Faſt. 3. Ovid. *Im̄olat hunc Briareus ſacta ex adamante ſecuri.*
Æn. 6. Virg. *Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla.*

---

### *EXCEPTIO.*

REfert, hoc eſt, intereſt, ſeu neceſſe eſt, re habet longum.

Lib. 9. Mart. *Multum, crede mihi, refert à fonte bibatur,*
*Qui fluit; an pigro cùm ſtupet unda lacu.*
Georg. 2. Virg. —— *neque enim numero comprehendere refert.*

---

*POetæ rettuli, reppuli, frequenter geminatis conſonantibus producunt.*
Ovid. Met. 13. —— *ſed enim quia rettulit Ajax,*
*Eſſe Jovis pronepos.*
Lib. 1. Lucan. *Reppulit à Libycis immenſum ſyrtibus æquor.*
*Repperit rarius. Auſonius in Epigr.*
*At qui condiderat, poſtquam non repperit aurum.*
Ovid. de Ponto, Eleg. 2.
*Conſortes urbis repperit eſſe ſuæ.*

*Verbum cogo, quod coago ſcribendum fuit, ut coactum eius ſupinum, priorem habet longam, quæ ex duabus brevibus O, & A, in unam contractis facta eſt.*
Eclog. 3. Virg. *Tityre coge pecus; tu poſt carecta latebas.*

*Anhelo, anhelus, primam habent brevem, quæ ex præpoſitione* am, m, *mutata in* n, *facta ſunt.*
Æn. 5. Virg. *Et mea ſævus equis oriens afflavit anhelis.*

*Aperio, omitto, operio, primas habent breves, quia ex præpoſitione Ob, compoſita ſunt, ſed B, extritum eſt.*
Epiſt. 1. Hor. *Quod petiit, ſpernit; repetit quod nuper omiſit.*
Æn. 4. Virg. *Nox operit terras, quoties aſtra ignea ſurgunt.*

*Comitium, comitia, à comire, corripitur, ex* con *&* ire *compoſitum.*

PRÆ-

## PRÆPOSITIONES LONGÆ.

AE, De, Di, Se, longæ ſunt, ut *amitto, erumpo, deduco, diripio, dido, ſeparo.*
Virg. *Amiſſos longo ſocios, ſermone requirunt.* Æn. 3.
Idem; *Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.* Æn. 1.

---

## EXCEPTIO.

DIrimo, & Diſertus, di corripiunt.
Virg. *Cede Deo, dixitq; & prælia voce diremit.* Æn. 3.
Mart. *Quòd jam grande ſophos clamat tibi turba togata, Non tu, Pomponi, cœna diſerta tua eſt.* Lib. 6.

---

*TRans, amiſſis duabus conſonantibus, nihilominus producitur, ut trano, traduco, trado.*
Virg. ——— *illius ergo* Æn. 6.
*Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnes.* Lib. 1.
Mart. *Quæ tua traducit manifeſto carmina furto.* Lib. 11.
Idem; *Ardua res hæc eſt opibus non tradere mores.* Æn. 4.
De, ſequente vocali corripitur, ut dehiſco.
Virg. *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat.*
*Interdum eadem in unam ſyllabam coaleſcit, ut in deeſſe, deerat.*
Luc. *Quantum deeſſe ſolet Lunæ, ſeu plena futura eſt.* Lib. 2.
Ovid. *Sanctius bis animal mentiſque capacius alte Deerat adhuc. Sed de his in figuris.* Met. 1.

---

## PRO, PRÆPOSITIO.

PRo, præpoſitio brevis eſt apud Græcos, ut *Propontis*: longa apud Latinos, ut *Provebor.*
Ovid. *Mitit in has ſi quos longa Propontis aquas.* De Pon. 4
Virg. *Provehimur portu terraq; urbeſque recedunt.* Æn. 3.

EX-

## *EXCEPTIO.*

MUlta, quæ ſuæ originis naturam non ſequuntur, uſu, aſſiduaq; Poetarum lectione ſunt diſcenda, cujuſmodi ſunt, *ſomes*, *mobilis*, *laterna*, *regula*, quæ primam habent longam, cùm verba *Foveo*, *moveo*, *lateo*, *rego*, à quibus proficiſcuntur, eandem corripiant. Contrà, *lucerna*, *ariſta*, *ſopor*, *vadum* primam corripiunt, cùm verba *Luceo*, *areo*, *ſopio*, *vado*, à quibus declinantur, eandem producant.

---

## *PRÆCEPTUM X.*

### *De Compoſitione.*

COmpoſita brevitatem, vel longitudinem ſimplicium ſequuntur. In *perlego*, *relego*, E, ante g, brevis eſt, quia in ſimplici *lego*, etiam corripitur: in præterito *perlegi*, *relegi*, producitur, quia in ſimplici *legi*, itidem longa eſt.

*Attigi*, *concidi*, *diffidi*, *ebibi*, *reſcidi*, I, litteram habent brevem, quia in ſimplicibus eadem vocalis corripitur: *Tetigi*, *cecidi*, à cado, &c.

*Oblitum*, *inſitum*, *circumdatum*, *deſitum*, penultimam, ob eandem cauſam, habent brevem, nam à *litum*, fit *oblitum*, &c.

---

## *APPENDIX.*

QUantitas ſimplicium ſervatur in compoſitis, quamvis vocales mutentur, ſic *concido*, *excido*, *incido*, *occido*, *recido*, à cado penultimam corripiunt: *Eligo*, *ſeligo*, à lego. Contrà *concido*, *excido*, *incido*, *occido*, *recido*, à cædo, eandem producunt: ſic *allido*, *collido* à lædo; *Exquiro*, *requiro*, à Quæro: *Obedio*, *obedis*, ab Audio.

Æn. 12. Virg. *Occidit*, *occideritq; ſinas cum nomine Troja.*

Juven.

Juven. *Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.* Satyr. 7.

Hæc à ſimplicibus longis orta corripiuntur: *Dejero, pejero*, à juro: *Pronuba, innuba*, à nubo: *Semiſopitus*, à ſopitus: *Maledicus, cauſidicus, veridicus, fatidicus*, à dico. *Nihilum* ex *ni*, & *bilum*.

Horat. *Stultitia ne erret nihilum diſtabit, an ira.* Serm. 2.

*Connubium*, à Nubo, ſecundam ſyllabam habet communem. Satyr. 3.

Virg. *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia ſervas?* Æn. 2.

Idem. *Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.* Æn. 1.

*Ambitus nomen hic excipiendum, ſi Priſciano credimus; nam docet Ambio compoſitum ex verbo Eo, ſolum mutaſſe E, in I, & more eorum, quæ in Io, deſinunt penultimam ſupini habere longam, unde, ambitus; participium media longa.* Lib. 10

Ovid. *Juſſit, & ambitæ circumdare littora terræ.* Met. 1.

*Ambitus verò nomen eandem habet brevem, differentię cauſa.*

Lucan. —— *lętbaliſque ambitus urbi.* Lib. 1.

---

## *DE PRÆPOSITIONUM Compoſitione.*

| | | |
|---|---|---|
| Ab, | ut | Abeo, |
| Ad, | | Adoro, |
| Ante, | | Antefero, |
| Circum, | | Circumago |
| In, | | Inuro, |
| Ob, | | Obeo, |
| Per, | | Pereo, |
| Re, | | Refero, |
| Sub, | | Subeo, |
| Super, | | Superaddo, |

Breves ſunt.

ITem A, Græca præpoſitio, ut *Adamas, adytum, atomus*:

Juv. *Circumagat madidas à tempeſtatę cohortes.* Satyr. 7.

Virg.

## *APPENDIX II.*

RUo, nunc facit Ruitum ſupino, priſcis ſeculis Rutum fecit, unde exiſtunt compoſita, *Dirutum, erutum, obrutum.*

Ep. 11. Ovid. *Diruta ſunt alii, uni mihi Pergama reſtant.*

Æn. 11. Virgil. *Hoc mihi cum Teucri, ullum poſt eruta bellum Pergama.*

## *APPENDIX III.*

STatum videtur priorem habere communem: inde enim ſtatus, ûs, & ſtatus, a, um, priore brevi, & Jupiter ſtator, priore longa oriuntur, & compoſita, quæ per I, efferuntur, ipſum corripiunt, ut *præſtitum.*

Faſt. 4. Ovid. *Hic ſtatus in cœlo multos permanſit in annos.*

Faſt. 1. Idem; *Muſa quid a factis non ſtata ſacra petis.*

Inde etiam Staturus, conſtaturus, & quæ per a, efferuntur, eandem producunt.

Lib. 3. Lucan. *Tunc res immenſo placuit ſtatura labore.*

Lib. 10. Mart. *Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum.*

## *PRÆCEPTUM VII.*

*De Supinis polyſyllabis.*

SUpina in tum polyſyllaba, præcedente, u, habent penultimam longam; ut *ſolutum, argutum, indutum, &c.*

Virgil. *Lumina rara micant; ſomno, vinoque ſoluti Procubuere.*

Item in tum, à præteritis in vi, per u, conſonantem, ut *Cupivi, cupitum.*

Ovid. *Exul eram, requieſque mihi non fama petita eſt.* Triſt. 4.

*Recenſitum*, uſitatum à *recenſio* priſco, quarti ordinis, ad verborum incrementum ſpectat. Claud. in Eutrop. lib. 2.

*Priſca recenſitis evolvite ſecula faſtis.*

---

## *EXCEPTIO.*

AGnovi tamen, cognovi, agnitum, cognitum, penultimam brevem habent.

Ovid. *Idque recens præſtas, nec longo cognitus uſu.* Triſt. 3.

---

## *PRÆCEPTUM VIII.*

SUpina in itum, à præteritis in ui, per u, vocalem habent penultimam brevem, ut *Monui, monitum, tacui, tacitum.*

Virg. *Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.* Æn. 6.
Id. *Quis te magne Cato tacitum, aut te Coſſe relinquat?* Ibid.

---

## *PRÆCEPTUM IX.*
### *de Derivatis.*

DErivata ſequuntur naturam eorum, à quibus derivantur, ut *legebam, legam: lege, legito*, prima brevi, quia oriuntur à præſenti *lego, legis*, cujus prior itidem brevis eſt. *Legeram, legiſſem, legero, legiſſe*, prima longa, quia à præterito *legi* naſcuntur, cujus prior etiam longa eſt.

*Aratrum, ſimulacrum, ambulacrum, lavacrum, volutabrum, involucrum*, penultima longa, quia à ſupinis *aratum, ſimulatum, ambulatum, lavatum, volutatum, involutum*, deducuntur, quorum penultima ſimiliter longa eſt.

*Reditus, exitus, introitus*, penultima correpta, quia ſupina, unde fiunt, eandem habent brevem.

EX-

## EXCEPTIO.

COrripe quæ fundus, neptis, fugiòq; nepòſq;
Et fari, feſtus, fateor, fanùmq; crearunt.
Huc profugus ſpectat: cui junge profano, protervus.
Huc proficiſcor ades, properate, procella, profectò.
Tùq; propago genus; Vitis propago recede.
Æn. 1. Virg. *Tum breviter Dido vultum demiſſa profatur.*
Lib. 3. Prop. *Magnum iter ad doctas, proficiſci cogor Athenas.*
Lib. 1. Luc. *Ad Cinnas, Marioſque venis? ſterne profectò.*
Lib. 6. Idem. *Quam prior affatur Pompeii ignara propago.*
Georg. 2. Virg. —— *preſſos propaginis arcus.*

---

## APPENDIX.

PRopino, procurro, primam habent communem: profundo, rariſſimè eandem producit.

*Propello, propulſo etiam primam habent brevem apud Lucretium.*

Lib. 4. *Et procul à tergo quæ provebat, atque propellat.*

Ibidem. *Verba propulſantes iterabant dicta, &c. Tutior tamen eſt utriuſque productio.*

Propago *verbum apud ſolum Lucretium ex Poetis, niſi me fallit memoria, legi, qui prima modò longa, modò brevi utitur in eadem ſignificatione.*

Lib. 1. *Propagare genus poſſent, vitamque tueri.*

Ibidem. *Nec ratione fluunt alia, ſtragemque propagant.*

Procello *incertum eſt, an primam habeat brevem: nam Lucretii verſus, quod id confirmandum eſſet, ſic legitur; Turbinis immanem vim provomit, atque procella: non procellit.*

### *E, in Compoſitione.*

SI prior pars compoſiti, E, vocali terminetur, ferè brevis eſt, ut *liquefacio, tepefacio, tremefacio, ſtupefacio, nefas.*

Virg.

Virg. *Flammarumque globos liquefactaq; volvere ſaxa.* Georg. 1
Idem. ——— *atro tepeſacta cruore* Æn. 9.
*Terra, totique madent.*
Juven. *Credebant hoc grande nefas, & morte piandum* Satyr. 13.
*Si juvenis vetulo non aſſurrexerat.*

---

## *EXCEPTIO.*

EXcipe Nequis, nequa, nequod, nequam, nequitia, nequaquam, nequicquam, nequando, videlicet, veneficus, venefica.

Virg. *Nequa meis eſto dictis mora Jupiter hac ſtat.* Æn. 1.
Ovid. *Barbara narratur veniſſe venefica tecum.* In Epiſt.

---

*HIc Latinis vocibus agimus; Græca enim ex diphthongo cognoſcuntur, ut Archetypus, Nereus, Evander.*

*Secunda in liqueſacio, & tepeſacio longa invenitur. Catullus in Argon.*

*Alta tepeſaciet permiſta flumina cæde, Et Ov. Met. 7.*
*Thura liqueſaciunt, indutaque cornibus aveum.*

*Sed uterq; neceſſitate conſtrictus longa pro brevi uſus eſt: id quod Epici poetæ ſolent facere in dictionibus tres breves continuas habentibus more Græcorum, ut Priamides.*

Virg. *Atque hic Priamidem laniatum corpore toto.* Lib. 9.
*Deiphobum vidi.*

*Lucretius produxit E, in expergeſacio, pateſacio, pateſio, rareſacio, quæ, nondum quod meminerim, apud cæteros poetas legi, ne brevia quidem.* Lib. 4. Lib. 6. Lib. 4. Lib. 6.

*Expergeſactique ſequuntur inania ſæpe, &c.*
*Atque pateſecit, quas antè obſederat arces, &c.*
*Cauſa pateſiat, quæ ferri pelliciat vim.*
*Et rareſecit calido miſcente vapore.*

*Nequam, auctore Varrone, de Analog. ex ne, & quicquam, media ſyllaba extricta coactum eſt.* Lib. 3.

*Horat. 2. Serm. Arma viri: nequam, & ceſſator Davus: at ipſe.* Sat. 7.

Lib. 1. Ovid. Faſt. *Nequitia eſt, quæ te non ſinit eſſe ſenem. Videlicet, ex Videre & Licet, factum eſt.*

Lib. 1. Lucr. *Oſſa videlicet è pauxillis atque minutis.*

---

*I, vel Y, in compoſitis.*

SI prior pars compoſiti in I, vel Y, deſinat, corripitur, ut *Omnipotens, cauſidicus, Palinurus, Polydorus.*

Æn. 10. Virg. *Tum pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, Infit.*

Lib. 5. Mart. *Carpere cauſidicus fertur mea carmina: quis ſit, Neſcio: ſi ſciero, væ tibi cauſidice.*

Æn. 5. Virg. *Nudus in ignota Palinure jacebis arena.*

Æn. 3. Idem. *Nam Polydorus ego, &c.*

---

*EXCEPTIO I.*

I, Longum habent, ibidem, ubique, idem pronomen virile, bigæ, quadrigæ, biduum, triduum, ſiquis, ſiqua, ſiquod, ſcilicet, ilicet, tibicen, meliphyllon, Trinacria.

Lib. 12. Mart. *Difficilis, facilis, jucundius, acerbus es idem: Non poſſum tecum vivere, nec ſine te.*

Lib. 2. Idem. *Si totus tibi triduò legatur.*

Æn. 5. Virg. *Trinacriæ mirata fremit, Troiaq; inventus.*

Lib. 2. Ovid. *Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum.*

Triſt. 4 Lib. 4. Idem. *Si qua meis fuerint, ut erunt, vitioſa libellis, Excuſata ſuo tempore, lector, babe.*

---

*EXCEPTIO II.*

ITem compoſita ex Dies, ut *meridies, meridiei, quotidie, quotidianus, &c.*

Mart.

Mart. *Inter tepentes poſt meridiem buxos Sedet.* Lib. 3.

---

## *EXCEPTIO III.*

SI *i*, fixum non fuerit, ſed pro genere, & caſu mutetur, longum erit : ut *Quidam, quivis, quilibet, tantidem.*

Mart. *Rumpitur invidia quidam, cariſſime Juli,* Lib. 9.
*Quod me Roma legit, rumpitur invidia.*
Ovid. *Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt.*

---

*HÆc præceptio, tam Græcas, quàm Latinas dictiones complectitur.*

Virg. *Qui tripodas Clarii lauros, qui ſidera ſentit.* Æn. 1.
*Idem, Neutrum, priorem habet brevem.*
Mart. *Et faciamus idem, nec mereamur idem?* Lib. 12.
*Siquidem compoſitum ex Si, & Quidem ſemper primam corripit.*
Lucan. *Hoc ſiquidem ſolo civilis crimine belli.* Lib. 4.
*Si verò disjungitur ſiquidem; ſi, ſemper producitur.*
*Scilicet, ex ſcire & licet copulatum eſt.*
Virg. *Scilicet hęc Spartam incolumis, patriaſq; Mycenas.* Æn. 2.
*Adſpiciat?* *Ilicet, exire, & licet.*
Idem. *Ilicet ignis edax ſummi ad faſtigia tecti volvitur.* Ibid.
*Meliphyllon herba eſt, quæ à Varrone Apiaſtrum dicitur.*
Virg. *Trita meliphylla & cerinthæ ignobile gramen.* Geor. 4.
*Trinacria Sicilia eſt, dicta à* τρὶς, & ἄκρα, *quod tria habeat promontoria, Pachinum, Lilybęum, Pelorum.*
*Ubivis, ubilibet, ajunt etiam mediam longam habere; quamvis, ubi, ultimam habeat ancipitem.*
*Ubicunque, ut opinior, corripitur.*
Mart. *Qui tecum cupis eſſe meos ubicunque libellos.* Lib. 1.
Lucan. *Præſtandum eſt ubicunque caput, ſed tu quoq; conjux.* Lib. 7.

Lib. 2. Idem. *Et pigras ubicunq; iacent, effunde paludes.*

Lib. 8. Mart. *Epig.* 10. *Lucrifecit, dixit ſecunda longa.*

*Emit lacernas millibus decem Baſſus.*
*Tyrias coloris optimi lucrifecit: Scazon eſt: Aut certè dicendum eſt lucri genitivum eſſe, quales ſunt parvi, magni, &c.*

*Separatur enim interdum à verbo.*

*Plaut. perſa Cara eſt, feciſti lucri. Auſonius in monoſtichis Cæſarum, Matricida, antepenultima longa dixit. Matricida Nero proprii vim pertulitenſis, repugnante tamen analogia; nam Parricida eandem habet brevem.* Horat. Carm. Ode 29. *Telegoni juga parricidæ. Carmen conſtat ex duobus dactylis, & totidem choreis.*

*Compoſita ex dies ſunt etiam communia, pridie, poſtridie, pridianus, meridianus. Catullus in Quotidianus ſolita licentia uſus eſt: ſi quidem corripuit ſecundam, quam Martialis ſemper producit.*

Lib. 3.

*Quò tu, quò liber, otioſe tendis.*
*Cultus ſindone non quotidiana?*

Lib. 1.

Lib. 10. Idem. *Levis dropace tu quotidiano.*

---

## *O, in Compoſitis.*

O, In Græcis dictionibus priorem compoſiti partem claudens, corripitur, ut *Cymothoe, Carpophorus, Argonauta.*

Lib. 1. Mart. *Sæcula Carpophorum Cæſar, ſi priſca tuliſſent.*
*Jam nullum monſtris orbe fuiſſet opus.*

Lib. 3. Idem. *Non nautas puto vos, ſed Argonautas.*

---

## *EXCEPTIO.*

QUæ per *O magnum*, apud Græcos ſcribuntur, longa ſunt. Geometra, Lagopus: nec plura facilè invenias, quibus utantur Latini.

Lib. 7. Mart. *Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus.*

Mar-

Martialis lib. 7. ſecundam produxit in Teophil. quòd tres breves continuæ eſſent.

*Hæc eſt illa tibi promiſſa Theophila Canni.*

Quod in ſimilibus nominibus, maximè propriis, ſyllabam brevem inter duas longas ſitam habentibus evenire ſolet.

*Juvenalis aut O in Geometres corripuit, aut certè E, & O, in unam ſyllabam contraxit.* Satyr. 3.

*Grammaticus, rethor, geometres, pictor, aliptes.*

O, in Latinis dictionibus ſæpe producitur, ut *nolo, quandoq; quandocunq; introduco, retroverſus.*

Horat. in Art. *Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.*

Ovid. *Quandocunq; mihi pęnas dabis ipſa pudore, &c.* Met. 6.

Lucr. *Sic animas introduxerunt ſenſibus auctas.* Lib. 3.

Ovid. *Ipſe retroverſus ſquallentia protulit ora.* Met. 4.

---

HOdie *corripitur.*

Juv. *Rex hodie minor eſt, heri quàm fuit, atque eadem cras, &c.* Satyr. 3. *Quandoquidem.*

Virg. *Dicite, quandoquidem in molli conſedimus herba.* Ecl. 3.

*Sacroſanctus habeat brevem, an longam ſecundam, judicabunt doctiores.* Lib. 14.

*Bardocucullus O, habet breve:*

Mart. *Gallia Santonico veſtit te bardocucullo.*

*Controverſus, controverſor, controverſia videntur etiam corripi: in qua ſententia eſt Sidonius.* Lib. 8.

*Declamatio controverſiarum.*

*Qui ſi claſſicus fuiſſet, omnis dubitatio ſublata eſſet.*

## DE INCREMENTO Singulari Nominis.

---

### *QUID SIT INCREMENTUM.*

SI Genitivus ſingularis par fuerit Nominativo ſyllabarum numero, nullum erit incrementum, ut *Muſa, Muſæ: Dominus, Domini.*

Sin longior fuerit, tum penultima Genitivi incrementum erit; quæ in omnibus caſibus utriuſque numeri ſemper Genitivi quantitatem ſervat, ut *ſermo*, *ſermonis*, *ſermoni*, *ſermones*, *ſermonibus*, ubique O, longum eſt. Præter *bobus*, ubi, O producitur, quamvis in Genitivo ſingulari corripiatur, *bovis*.

### *APPENDIX.*

ITer, ſupellex, & compoſita ex Caput, litteris Ps, finita, duplici augentur incremento. *Itineris*, *ſupellectilis*, *biceps*, *bicipitis*.

---

### *INCREMENTUM*
### *Primæ Declinationis.*

A, Incrementum primæ declinationis longum eſt, ut *Aulai*, *pictai*.

Æn. 1. Virg. *Aulai in medio libabant pocula Bacchi.*
Æn. 9. Idem. *Dives equum, dives pictai veſtis, & auri.*

---

### *INCREMENTUM*
### *Secundæ Declinationis.*

E, I, U, incrementa ſecundæ declinationis corripiuntur, ut *Miſer*, *miſeri*; *vir*, *viri*; *ſatur*, *ſaturi*.

Æn. 1. Virg. *Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.*
Ibidem. Idem. *Arma, virumq; cano, Trojæ, qui primus ab oris.*

---

### *EXCEPTIO.*

I*Ber*, *Iberi*, penultimam habet longam, & ex eo compoſitum, *Celtiber*, *celtiberi*.

Lucan.

Lucan. *Interea domitis Cæſar remeabat Iberis.* Lib. 4.
Mart. *Vir Celtiberis non tacende gentibus.* Lib. 1.

---

## *INCREMENTUM*
### *Tertiæ Declinationis.*

*A.*

A Incrementum ſingulare tertiæ declinationis, longum eſt, ut

*Vectigal, Titan, pietas, pax, calcar, & Aiax.*

Ovid. *Concitat iratus validos Titanas in arma.* Faſt. 3.
Virg. *Hic pietatis bonos, ſic nos in ſceptra reponis?* Æn. 11.
Idem. *Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.* Æn. 5.

---

## *EXCEPTIO I.*

COrripe maſculina in Al, Ar, ut *Sal*, *Annibal*, *Amilcar*.

*Par, cum compoſitis, bepar, cum nectare, Bacchar.*
*Hic vas, mas, & anas, queis junges, larq; iubarq;*

Virg. *Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant.* Æn. 1.
Sil. *Annibalem Fabio ducam ſpectante per urbem.* Lib. 8.
Idem. *Cui ſęvum arridens. Narrabis Amilcaris umbris.* Lib. 1.
Virg. *Pergameumq; Larem, & canę penetralia Veſtę.* Æn. 5.

---

## *EXCEPTIO II.*

ITem Græca in A, & As, ut poema, ſtemma, Pallas; & quæ conſonantem habent ante S, ut *trabs*, *Arabs*.

*Et dropax, anthrax, Atrax, cum ſmilace, climax.*
*His Aiacem, panacem, colacem, ſtyracemq; facemque.*

Atque abacem, coracem, phylacem, compoſtaque nectes.

Satyr. 8. Juven. *Stemmata quid faciunt? quid prodeſt pontice longo Sanguine cenſeri.*

Æn. 2. Virg. *Inſtar montis equum divina palladis arte ædificant.*

Faſt. 4. Ovid. *Nam modò turilegos Arabas, modo ſuſpicit Indos.*

---

*NOn excipimus Nar, quia neutrum eſt, ut ſuo loco diximus, quamvis etiam apud Virgilium maſculinum legatur.*

*Vas, vadis corripitur.*

Lib. 14. Horat. *Serm. 1. Ille datis vadibus, qui rure extractus in urbem eſt.*

*Vas vaſis producitur. Martial.*

*Aretina nimis ne ſpernas vaſa, monemus.*

*Sypbax apud antiquos penultimam producit.*

Lib. 3. Propert.—— *victi monumenta Sypbacis.*

Faſt. 6. Ovid. *Poſtera lux melior, vincit Maſaniſſa Syphacem.*

*Claudianus, qui Cæſarum Arcadii, & Honorii ætate ſcripſit, eandem corripuit, & Corax, Phylax, quorum poſterius Latinis inuſitatum eſt, addidimus propter compoſita Nycticorax, & Arctophilax, quæ corripiuntur, ut ſimplicia, quæ apud Græcos ſine ulla dubitatione correpta ſunt.* Manil. *neceſſitate coactus Arctophylaca penultima longa dixit.*

Lib. 1. *Permeat Arctophylaca petens per terga draconis.*

*Sunt namq; quatuor breves continuæ.*

*Myſtax, acis, Græcis corripitur.*

---

*E.*

E Incrementum ſingulare tertiæ declinationis, breve eſt, ut,

Degener, atque teres, pulvis, cum funere, nex, grex.

Met. 4. Ovid. *Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas Paſcebant.*

EX-

## EXCEPTIO I.

Genitivus Enis, penultimam habet longam, ut
*Ren, renis, Siren, ſirenis.*
Ver, & Iber, locuples, heres, merceſq; quieſq;
Lex, veruex, halec, ſeps, plebs, rex, inſuper halex.
Mart. *Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, ſenique,* Lib. 8.
*Si ſapis, & ſentis, hic tibi ait, morere.*

## EXCEPTIO II.

Item peregrina in El, *Michael*, & Græca in Er, & Es, ut *Crater, Rhamnes, tapes.*
Virg. *Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.* Æn. 7.
Idem. —— *ſimul enſe ſuperbum.* Æn. 9.
*Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis.*
*Exſtructus toto proflabat pectore ſomnum.*
*Aer, & Æther ſequuntur incrementum nominum latinorum.*

## I, vel Y.

I, Vel Y, incrementum ſingulare tertiæ declinationis breve eſt, ut
Ordo, pugil, carmen, ceſpes, cum ſanguine princeps,
Et clamys, atque chalybs, pollex adjungito carex.
Virg. *India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,* Georg. I.
*At Chalybes nudi ferrum.*

### *EXCEPTIO I.*

GEnitivus Inis, vel Ynis, à nominibus Græcis penultimam producit, ut *Delphin*, *Phorcyn*, *Salamis*.

Idem. *Neſis*, *neſidis* : *Gryps*, *Gryphis* : *Vibex*, *vibicis* : *abſis*, *abſidis* : *glis*, *dis*, *lis*, *Samnis* : *quibus adde Quiritem.*

Eclog. 4. Virg. *Orpheus in ſylvis*, *inter delphinas Arion.*
Æn. 8. Idem. *Laomedontiadem Priamum Salamina petentem*
Æn. 6. Idem. *Noctes atque dies patet atri janua Ditis.*

---

### *EXCEPTIO II.*

NOmina ix, vel yx, ſyllaba finita, penultimam Genitivi habent longam, ut *Felix*, *maſtix*, *maſtigis*, *bombyx*, *bombycis*.

Æn. 1. Virg. *Vivite felices*, *quibus eſt fortuna peracta*, *Jam ſua*

---

### *APPENDIX.*

I, Breve ſervarunt hiſtrix, cum fornice, varix.
Coxendixq; Cilix, chœnix, natrixque calixq;
Atq; calyx Danaum, nectes. Erycémq; nivémq;
Sardonychi ſociatur onyx ; pix hæret utrique.
Et ſalices, ſilices, larices. Sit Bebrycis anceps.
Sed brevibus junges, in Gis, cùm patrius exit,
Phryx, Phrygis eſt teſtis. Maſtix, maſtigis amabit.

Lib. 2. Luc. *Armenios*, *Cilicaſq; feros*, *Tauroſq; ſubegi.*
Lib. 3. Idem. *Nunc pice*, *nunc liquida rapuere incendia cera.*

---

A *Græcis declinantur Maſtiche*, *maſtiches*, *quo pacto doctiores loquuntur.* Plin. Lib. 12. cap. 17. *Sed maſtiche quoque gemina eſt.*

*David, ſi Latinam declinationem ei demus, David Davidis, videtur corripienda penultima, ſi Hebraicę quantitatis habenda ſit ratio, Græci per Jota ſcribunt, unde intelligi non poteſt, ſit ne brevis, an longa ſecunda vocalis. Quare qui eam corripuerit, non recedet à fontibus: qui produxerit, conſuetudini ſerviet.*

## O.

O, Incrementum ſingulare tertiæ declinationis longum eſt, ut
Unio, Sol, Telamon, candor, vox, atq; Sacerdos.
Ovid. *Regia Solis erat ſublimibus alta columnis.* Met. 1.

---

### *EXCEPTIO I.*

GRæca in On, quæ in obliquis habent omicron corripiuntur, ut *Philemon, Palæmon, Sidon, Agamemnon, Jaſon, Amazon,* & multa alia, quæ uſu ſunt diſcenda.
Virg. *Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis.* Æn. 11.

Latini interdum, n, litteram omittunt, ut *Macedo, Macedonis: Agamemno, Agamemnonis.*
Statius; *Conclament Danai, ſtimulatq; Agamemno volentes.* Theb. 11

Quæ verò per *O, magnum* ſcribuntur, longa ſunt, ut *Simon, agon, Sidon, Solon, &c.*

---

SEnnones, Vangiones, Lingones, Vaſcones, Teutones, ſive Teutoni, Britones, penult. corripiunt.
Lucan. *Nos primi, Senonum motus, Cimbrumq; ruentem, &c.* Lib. 1.
Sil. *Et clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Senæ.* Lib. 8.
Idem. *Hic galea Senonum, penſatique improbus auri Arbiter enſis ineſt. Quare illud Lucani.* Lib. 1.

*Et biturix longiſq; leves Saxones in armis :*
*Legendum eſt Axones.* *Idem Lucan. in eodem.*
*Vangiones , Bataviq; truces , &c. Idem in eodem.*
*Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.*

Satyr.15. Juv.*Veſcones , ut ſama eſt , alimentis talibus uſi ,*
*Produxere animas .*

Satyr.15. Juven. *Qua nec terribiles Cimbri , nec Ritones uſquam .*

Lib. 11. *Britones Mart. produxit , Quam veteres bracca Britonis pauperis, & quam.*

Lib. 4. *Vectones O, habet longum, Luc.Vectoneſq; leves, &c.*
*Orion & Ægnaon O , habent commune in obliquis.*

Æn. 3. Virg.*Armatumq; auro circumſpicis Oriona.*

Met. 4. Ovid.*Aut Helicem jubeo ſtrictumq;Orionis enſem .*

Met. 2. Ovid.*Ægaona ſuis immania terga lacertis.*

pro ſer.3. Clau. *In Rap. Hac centum gemini ſtrictos Ægaonis enſes .*

Statius : *Audierat duros laxantem Ægaona nexus.*

## DE GRÆCIS IN ON DESINENTIBUS.

### REGULA PRIMA

*De Diſyllabis .*

D*Iſyllaba penultimam Genitivi producunt : ut , Simon, Sindon, Solon.* Excipe.*Sindon, Icon, Memnon , Æſon , Gorgon , canon , Hæmon , pepon, Strymon , dæmon.*

---

### REGULA II.

*De polyſyllabis.*

P*Enultima Nominativi correpta , ſacit O, longum in obliquis , ut, Telamon , Polemon.* Excipe. *Geryon.*

*ryon, Aclyon, Lycophron, quæ corripiunt o Contrà, ſi penultima Nominativi, producitur, O, breve erit in obliquis, ut Jaſon, Philemon, Palæmon. Excipe Orion, & Ægæon, quæ o habent anceps. Citheron, Ariſton, Alcmæon, O longum habent.*

### REGULA III.

G*Entilia brevia ſunt in obliquis*. Excipe, *Naſamon, Lacon, Macron, Cydon, Vectlon, Axon, Caton, Burgundio, quę O, longum habent.*

### EXCEPTIO II.

GEnitivus in Oris, à nominibus Græcis, & Latinis neutris penultimam habet brevem; ut *Neſtor, marmor, ebur, corpus*; quibus adduntur, *memor, arbor, lepus*, & ex pes compoſita, ut *tripus, bos, compos, & impos.*

Ovid. *Qui licet eloquio fidum quoq; Nectora vincat.* Met. 13.
Virg. *Sic vos non vobis fertis aratra boves.* In Epig.
*Os, oris*, incrementum habet longum.
Virgil. *Conticui, roſeoq; hęc inſuper addidit ore.* Æn. 2.
Ovid. *Pulchra verecunda ſuffundens ora rubore.* Met. 1.

### EXCEPTIO III.

COrripiuntur etiam Cappadox, Allobrox, præcox, & quæ conſonantem habent ante S, ut *ſcrobs, Æthiops, Dolops*: præter *Cyclops, Cecrops, hydrops.*

Mart. *Capadocum ſęvis Antiſtius occidit oris.* Lib. 9.

Ruſti-

*Ruſticus, ò triſti crimine terra nocens.*

Æn. 2. Virg. *Hic Dolopum manus, hic ſęvus tendebat Achilles.*
Met. 1. Ovid. *Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.*
Ibid. 14. Idem. *Quippe Deum genitor fraudem; & perjuria quondam Cecropum exoſus, &c.*

*Celox celocis penultimam producit.* Varro in Bimargo. *Nautę remivagam movent celocem.*

## V.

V Incrementum tertiæ declinationis breve eſt, ut, *Dux, Ligur, & pecus, intercus, cum prę ſule turtur.*

Geor. 4. Virg. *Magnanimoſq; duces, totiuſq; ordine gentis. Mores, & ſtudia, & populos, & prętia dicam.*

---

## *EXCEPTIO.*

INterrogandi caſus, *udis, uris, & utis, ab us recto* penultimam habent longam, ut *palus, paludis, tellus, telluris; virtus, virtutis.* Quibus addenda ſunt, *Fur, furis: Pollux, lux: & frugis, frugi,* & cæteri obliqui.

Eclog. 3. Virg. *Quid domini facient, audent cum talia fures?*
Tibul. *Luce ſacra requieſcit humus, requieſcit arator.*

*Redux, tradux, penultimam corripiunt, ut dux.*

Æn. 1. Virg. *Namq; tibi reduces ſocios, claſſemq; relatam.*
*Cornelius Severus, ſeu quicunque ille fuit, in extrema Ætna, Traduce materia, & tetris per proxima fatis.*

# DE INCREMENTO
## Pluralis Nominis.

PEnultima Genitivi, vel Dativi pluralis numeri, dicitur incrementum plurale, cùm uterque caſus longior eſt Nominativo ejuſdem numeri:

ri : ut *Muſę* , *Muſarum* : *Ambo* , *amborum*, *ambobus* : *Qui*, *quorum* , *quibus* : *Res*, *rerum*, *rebus*.

## PRÆCEPTUM I.

A, E, O, incrementa multitudinis longa ſunt , ut *Quarum*, *harum*, *ambabus* ; *Rerum*, *rebus*, *horum* , *quorum*.

Ovid. *Cum tamen à turba rerum requieverit harum.* De Pont.
*Ad vos manſuetas porriget ille manus.* 2.
Virg. *At Capys*, & *quorum melior ſententia menti.* Æn. 1.

## PRÆCEPTUM II.

I, & U, incrementa multitudinis corripiuntur ; *Quibus*, *tribus*, *montibus* , *lacubus*.

Virg. *Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.* Eclog. 5.
Ovid. *Præmia de lacubus proxima muſta tuis.* Faſt.4.

# DE VERBORUM INCREMENTO.

## QUID SIT INCREMENTUM VERBI.

SEcunda perſona ſingularis modi Indicativi , norma eſt , ad quam verborum incrementa diriguntur : cui ſi verbum ſit æquale , nullum erit incrementum, ut *Amat*, *Amant*, quia diſyllaba ſunt, ſicut *amas* , quæ norma , & regula eſt incrementorum , nullum habent incrementum.

Sin-

Sin verbum longius ſit una ſyllaba, unum habebit incrementum, ut *Amamus*, *amatis*, quorum penultima incrementum eſt: nam ultima nunquam dicitur incrementum; ſi duabus ſyllabis norma ſuperetur, duo erunt incrementa, ut *Amabitis*, *Amabamus*: ſi tribus, tria, ut *Amaveritis*: *Amaveramus*: ſi denique quatuor, totidem erunt incrementa, ut *Audiebamini*.

In verbis deponentibus fingenda eſt vox activa, ad quam verborum incrementa diriguntur. Ultima ſyllaba, ut modo diximus, nunquam eſt incrementum: prima verò eſt, ſi norma ipſa ſit monoſyllaba, ut *Das*, *Fles*; *Damus*, *datis*, *dabam*, *dare*, & cætera diſyllaba, unum habent incrementum; eodem modo, *flemus*, *fletis*, *flebam*, *flere*, *&c.*

---

## *PRÆCEPTUM I.*

A, In omni verborum incremento producitur; ut *Stabam*, *ſtares*, *properamus*, *docebamus*, *audiebamini*, *&c.*

Æn. 2. Virg. *Trojaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneres.*

Met. 10. Ovid. *Serius, aut citius metam properamus ad unam.*

---

## *EXCEPTIO I.*

A, Primum duntaxat Incrementum verbi, *Do*, *das*, corripitur, ut *damus*, *dabunt*, *dare*; ob quam cauſam pronuntiamus, *circumdamus*, *circumdabunt*, *circumdare*: *Venundabo*, *venundare*, & cætera, penultima brevi.

Æn. 2. Virg. *His lacrymis vitam damus, & miſereſcimus ultrò.*

Met. 1. Ovid. *Juſſit, & ambitæ circumdare littora terræ.*

PRÆ-

## PRÆCEPTUM II.

E, In omnibus verborum incrementis producitur, ut *flebam, rebar, lacereris, docerem, legerunt, ſcriberis, lamberis, ſorberis*, in futuro.

Ovid. *Flebat Ariſtæus, quòd apes cum ſtirpe necatas.* Faſt. 1.
*Viderat inceptos deſtituiſſe favos.*
Virg. *Sic equidem ducebam animo, rebarq; futurum.* Æn. 6.
Mart. *Dædale, Lucano cùm ſic lacereris ab urſo.* Lib. 1.
*Quàm cuperes pennas nunc habuiſſe tuas.*

---

## EXCEPTIO I.

E, Ante R, breve eſt in quovis Præſenti, & Imperfecto, tertiæ conjugationis, ut *Cognoſcere, legerem, legeremus, legeris*, vel *legere*. Reris, tamen vel rere producitur; ut *loqueris, proſequerere*.

Virg. *Incipe parve puer riſu cognoſcere matrem.* Eclog. 4.
Mart. *Illud laurigeros ageres cùm læta triumphos.* Lib. 3.
*Hoc tibi Roma caput, cùm loquereris, erat.*
Ovid. *Tantane ne fallax cepere oblivio noſtri,* Triſt. 1.
*Afflictumq; fuit tantus adire timor,*
*Ut neque reſpiceres, nec ſolarere jacentem;*
*Dure, nec exequias proſequerere meas?*

---

## EXCEPTIO II.

E, Ante ram, rim, ro, corripitur, ut *Amaveram, amaverim, amavero: Feceram, fecerim, fecero.*

De cæteris perſonis idem eſt judicium: *Amaveris, amaverit, amaverimus, amaveritis: Fecerimus, feceritis.*

Met. 3. Ovid. *Fecerat exiguas jam Sol altiſſimus umbras.*

### *EXCEPTIO III.*

BEris, & Bere, futurum primæ, & ſecundæ conjugationis ſemper corripitur, ut *Celebraberis*, vel *celebrabere*, *mordeberis*, vel *mordebere.*

Æn. 8. Virg. *Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.*
Triſt. 1. Ovid. *Tu cave defendas, quamvis mordebere dictis.*

### *APPENDIX.*

POetæ in præterito Indicativi E litteram ante Runt ſyllabam pro ſuo jure interdum corripiunt.

Æn. 3. Virg. *Obſtupui ſteteruntq; comæ, & vox faucibus hæſit.*
Epiſt. 1. Hor. *Dii tibi divitias dederunt artemque fruendi.*
Lib. 8. Sil. *Terruerunt pavidos accenſa Ceraunia nautas.*

### *PRÆCEPTUM III.*

I, In quovis verborum Incremento corripitur, ut *Linquimus*, *amabimus*, *audiebamini.*

Lib. 3. Virg. *Linquimus Ortigiæ portus, pelagoq; volamus.*

### *EXCEPTIO.*

PEnultima præteriti in ivi, longa eſt, ut petivi. Et primum incrementum quartæ conjugationis, ut *Ibam*, *ibo*, *ito*, *ſubimus*, *venimus*, *reperimus*, præſentis temporis.

Æn. 2. Virg. *Ceſſi, & ſublato montem genitore petivi.*
Æn. 6. Idem. *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.*
Æn. 3. Idem. *Jungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus.*

Hæc

Hæc etiam I longum habent, *Nolito, nolite, nolimus, nolitis, velimus, velitis, ſimus, ſitis, ſimus, ſitis,* & quæ ex ipſis componuntur, ut *poſſimus, &c.*
Ovid. *Et documenta damus, qua ſimus origine nati.* Met. 1.
Idem. *Si quis, ut in populo, quis ſitis? & unde requirat.* de Pōt. 4

## *APPENDIX I.*

IMus, præterito penultimam corripit, ut *Venimus, reperimus, comperimus.*
Virg. *Non nos aut ferro lybicos populare penates.* Æn. 1.
*Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.*

## *APPENDIX II.*

TEmpora Conjunctivi modi ſyllabis, *Rimus, & Ritis*, finita, habeantne penultimam brevem, an longam, *Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt*, non ſolùm recentiores, ſed etiam veteres. Diomedes enim docet præteritum breve eſſe; futurum verò longum: Probus utrumq; longum eſſe affirmat. Quare cùm verſus facies, poetas optimos imitaberis; qui, ri, ſyllabam modò corripiunt, modò producunt, prout verſus poſtulat. Sin tibi aliquid recitandum erit, ne ſermonem des auditoribus, conſvetudini regionis ſervies.

## *PRÆCEPTUM IV.*

O, In verborum Incrementis ſemper producitur, ut *facitote.*
Ovid. *Cumq; loqui poterint matrem facitote ſalutet.* Met. 5.

## PRÆCEPTUM V.

U In verborum Incrementis ubique corripitur, ut *ſumus*, *poſſumus*, *volumus*.

Epiſt. 1. Horat. *Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati*.

Ibidem. Idem. *Si patriæ volumus, ſi nobis vivere cari*.

## DE PRIMIS, ET MEDIIS.

SYllabæ aut primum, aut medium, aut ultimum locum occupant. Quæ adhuc dicta ſunt, præcipuè ſpectant ad primas, & medias cognoſcendas, *Exaudiverimus*, exempli cauſa, primam longam habet poſitione, ſecundam diphthongo, cæterarum trium cognitio ad verborum incrementa ſpectat.

Si quando ergo prima, vel ſecunda ſyllaba occurret, tum ad præcepta illa univerſa confugies, tum ad Nominum, & Verborum incrementa, in quibus, tanquam in ſedibus, ac locis quibuſdam, ſyllabarum dimenſio latet, quos paratos, & expeditos habere oportet.

Quòd ſi, ubi diligentiùs requiſieris, non apparuerit, experire, num pronunciatione, tenorèque poſſis eam, indagare. Fingamus antepenultimam verbi, *invideo*, quod quatuor ſyllabis conſtat, tibi negotium faceſſere, excogita quo pacto fiat triſyllabum, atque ita accentu cognoſces ſitne brevis, an longa. *Invides*, *Invideo*, Vides, ut accentus ſyllabæ brevitatem aperuit? Idem in verbis *Peto*, *paro*, *loquor*, & ſimilibus; quæ ex duabus conſtant, faciendum eſt, quæ trium ſyllabarum fient, ſi præpoſitiones addes ad hunc modum, *repeto*, *comparo*, *alloquor*.

Deprehenditur etiam ſyllabarum quantitas analo-

logia, atque ſimilitudine. Sic *Amabilis*, verbi cauſa, ſecundam ſyllabam habere longam, dices *formidabilis, penetrabilis, lacbrymabilis*, & cætera eidem ſimilia tertiam producere.

Compoſitio etiam, & derivatio, de quibus ſuprà actum eſt, ſyllabarum brevitatem, longitudinèmque detegunt.

Quòd ſi his omnibus adhibitis remediis hæſeris, ne animo concidas: ſupereſt poetarum auctoritas, qua ſuas præceptiones fulciunt Grammatici. Ignoras *meta*, exempli gratia, *ſudo, ſtudeo*, habeàtne primas breves, an longas: unguens arrodenti, capùtq; perfricanti, Horatius opem feret.

*Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,*
*Multa tulit, fecitque puer, ſudavit, & alſit.*

Quæ cùm ita ſint, quàm plurima carmina optimorum poetarum memoriæ ſunt mandanda, verſus ſæpiſſimè ſcribendi: quæ exercitatio multò faciliùs, & certiùs te ſyllabarum rationem docebit, quam de primis, & mediis præceptionum multitudo propè infinita. In quibus ſępè aliter citantur verſus, quàm à poetis ſcripti fuerint: interdum alii pro aliis teſtes proferuntur.

Quæ præceptiones ne nos in errorem inducant, diligenter cavendum eſt. Citantur enim ſæpe poetæ, aut recentiores, aut vetuſtiores, quàm ut eis fides habenda ſit. Cæterorum teſtimonia non raro depravata, ac corrupta proferuntur. Quare cui de primis, & mediis ſyllabis privatas præceptiones tradere in animo erit, ſecum cogitet nihil ad hunc diem de ipſis à Grammaticis traditum eſſe, evolvatque ipſe ſumma cura, ac ſtudio poetas omnes claſſicos. Nam ſi iiſdem teſtimoniis contentus erit, quæ ab aliis afferuntur, ſæpenumero ſe falſum fuiſſe experietur. Sed hæc pænè totam hominis, non ſolùm otioſi, ſed etiam doctiſſimi vitam requirunt.

## DE ULTIMIS SYLLABIS.

SYllabæ, quæ ultimum locum tenent, partim poſitione, ut *prudens*, *præcox*, partim diphtongo, ut *Muſæ*, partim privatis præceptionibus cognoſcuntur, de quibus nunc agendum eſt.

---

### *A, in fine.*

A, Finita longa ſunt, ut *Memora, contra, ultra, antea, triginta, quadraginta, quinquaginta, &c.*

Æn. 1. Virg. *Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo.*

Ibidem. Idem. *Æolus hæc contra: Tuus ò Regina quid optes, Explorare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt.*

Æn. 8. Idem. *Triginta capitum fœtus enixa jacebit.*

---

### *EXCEPTIO.*

COrripe, *Eia, ita, poſtea, quia.* Item caſus omnes in A, ut *anchora, vela,* Præter Ablativum, ut *de prora* & Vocativos Græcos, ut *ò Ænea, ò Atla, Calcha, Palla.*

Lib. 8. Valer. Flac. *Eia per ipſum Scande age, & adverſo greſſus, ait, imprime dorſo.*

Æn. 11. Virg. *Non ita me experti Bitias, & Pandarus ingens.*

Æn. 3. Idem. *Anchora de prora jacitur, ſtant littore puppes.*

Ibidem. Idem. *Tendunt vela Noti, fugimus ſpumātibus undis.*

Æn. 11. Idem. *Non hæc ò Palla dederas promiſſa parenti.*

Æn. 3. Idem. *Quid miſerum Ænea laceras? jam parce ſepulto.*

---

*COntra, nonnunquam corripitur.*

Lib. 8. *Manil. Contra jacet Cancer patulam diſtentus in alvum.*

Lib. 7. Val. Flac. *Contrà Tartarios Colchis ſpumare venenis,*

Con-

*Contraque letæi quaſſare ſilentia rami præſtat.*
*Ultra, fruſtra, apud veteres claſſicoſque poetas producuntur.*
Juven. *Ultrà Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem Oceanum.* Satyr. 2.
Vir. *Ne quid inexpertum fruſtrà moritura relinquas,* Æn. 4.
*Manilius, Triginta corripuit.*
*Ter triginta quadrum paries per ſidera reddunt.*
*Rhemnius Fannius De ponderibus, & menſuris, ſexaginta quoque corripuit:*
*Cecropium ſupereſt poſt hæc docuiſſe talentum:*
*Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas.*

*Nonnulla Græca nomina caſu nominandi producuntur, ſed ferè cæſuræ benefico,* ut *Nemea, Tegea, Malea, Amalthea.*

Stat *Dat Nemea comites, &c.* Lib. 4.
*Nec facilis Nemea latas evolvere vires.* Ibid.
*Non Tegea, non ipſa dea vacat alite velox.* Ibid.
*Quos Pylos, & dubiis vitata Malea carinis.* In eod.
Ovid. *Nais amalthea Cretæa nobilis Ida.* Faſt. 5.

*Græca item nomina, de quibus hic agitur, maſculina ſunt in As, primæ,* vel *tertiæ declinationis; Æneas, ò Ænea. Virg. vigilaſne deum gens.* Lib. 10.
*Ænea? Vigila, & Velis immitte rudentes.* Met. 4.
Ovid. *Tempus Aita veniet, &c.* Æn. 3.

*Illud Virg. Coniugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo; non huc ſpectat: A, enim ſi breve eſt, ſed producitur cæſuræ beneficio ut in illo ejuſdem.*
*Si pereo, manibus hominum periiſſe juvabit.* Æn. 3.

*Neq; Anchiſa à nominativo Anchiſes, ſed Anchiſa fit. Veteres, enim, ut Quinctilian: docet, Ænea, Anchiſa dicebant recto caſu, pro Æneas, Anchiſes, ut ſupra dictum eſt. Hinc Horatius Atrida, pro Atrides dixit.* Lib. 1. cap. 5. Lib. 1.
*Nequis humaſſe velit Ajacem Atrida, vetas cur,* Serm. 2.
*Videſne Atrida ultima brevi? Velit, in eodem carmine ultimam producit, propter Cæſuram: & eodem loco quo Anchiſa apud Virgilium, qui more Veterum Anchiſa, æ, ſolet declinare.* Satyr. 3.

Æn. 7. *Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni.*

*Si Græcè declinaſſet, dixiſſet, Anchiſe, ut Priſcianus legit.*

*Halleluiah ultimam apud Hebræos habet longam, ſcribitur enim per Camets, hoc eſt, A, longum natura, & I, conſonantem. Neque mirum eſt ſi à Prudentio corripiatur.*

*Amen reddidit, alleluia dixit:*

*Hendecaſyllabon eſt, metiuntur enim Græci, & Latini ſæpe Hebræa verba potiùs Græcis, Latiniſque ſpatiis, quàm Hebraicis.*

---

## *E, in fine.*

E, Littera finita corripiuntur; ut *nate, ſuge, pone, ſacile, pæne, nempe.*

Lib. 2. Virg. *Heu fuge, nate Dea teque his, ait, eripe flammis.*
Eclog. 9. Idem. *Pæne ſimul tecum ſolatia rapta Menalca.*
Lib. 9. Mart. *Lege nimis dura convivam ſcribere verſus,*
*Cogis Stella, licet ſcribere nempe malos.*

---

## *EXCEPTIO I.*

PRoducuntur omnia primæ, & quintæ declinationis; *Anchiſiades, ò Anchiſiade, Calliope, re, die*, & quæ inde oriuntur, ut *quare, hodie*; quibus adde, *Fame, Cete, Tempe.*

Æn. 6. Virg. *Tros Anchiſiade, facilis deſcenſus Averni.*
Æn. 7. Idem. *Vos ò Calliope precor adſpirate canenti.*
Lib. 10. Mart. *Non venias quare tam longo tempore Romam.*
Lib. 7. Lucan. *Aut hodie Pompejus erit miſerabile nomen.*
Æn. 6. Virg. *Obiicit ille; ſame rabida tria guttura pandens.*
Serm. 2. Hor. *Et genus, & virtus niſi cum re, vilior alga eſt.*

E X.

## *EXCEPTIO II.*

ITem Verba Imperativi modi, numeri ſingularis, ſecundæ declinationis, ut *vide, habe.*

Hor. *Vade, vide, cave, ne titubes, mandataq; frangas.* Epiſt. I.
Mart. *Quæ tua ſunt, tibi habe; quæ mea, redde mihi.* Lib. 10.
*Cave*, ferè corripitur.
Ovid. *Tu cave defendas, quamvis mordebere dictis.* Triſt. I.
Item produxit alibi. Met. 2.
*Nate cave, dum reſque ſinit, tua corrige vota.*

Sunt etiam longa monoſyllaba, ut *Me, te, ſe.* Exceptis conjunctionibus encliticis, *que, ne, ve.* Et ſyllabicis adjectionibus, *pte, ce, te,* ut *ſuapte, hiſce, tute.*

Virg. *Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?* Æn. I.
Horat. *Neve putes aliam ſapiente, bonoq; beatum.* Epiſt. I.
Hor. *Hinc omnis pendet Lucillius hoſce ſequutus.* Serm. I. Satyr. 4.
Lucr. *Accipe præterea, quæ corpora tute neceſſe eſt. Confiteare.* Lib. I.

---

## *EXCEPTIO III.*

Longa præterea ſunt, *fere, ferme, ohe*, & adverbia à Nominibus ſecundæ declinationis profecta: ut *placidè, valdè, minimè, ſummè*; Præter, *Benè, malè.*

Juv. *Nulla ferè cauſa eſt, in qua non fœmina litem moverit.* Satyr. 6.
Idem. *Mobilis, & varia eſt ferme natura malorum.* Satyr. 13
Mart. *Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle.* Lib. 4.
Idem. *Excipe ſollicitos placide, mea dona libellos.* Lib. 9.
Idem. *Nil bene cum facias, facis attamen omnia bellè.* Lib. 2.
Horat. *Et malè tornatos incudi reddere verſus.* In Art.

Facilè, etiam cùm eſt adverbium corripitur: nam adiectiva tertiæ declinationis, cùm in adverbia tranſeunt, ultimam habent brevem, ut *ſublimè, ſuavè, dulcè.*

Virg.

Eclog. 3. Virg. *Cantantes, ſublimè ferent ad ſidera cycni.*
Eclog. 4. Idem. *Ipſe ſed in pratis aries iam ſuave rubenti Murice.*

---

*Sinonima Græca* es *finita, ad tertiam Latinorum tranſeant, ut Oreſtes, Oreſtis, Pyllades, is, Euphrates, is, acinaces, is, tunc ultima ablativi brevis erit.*

Lib. 6. Valer. Flac. *Inſignis manicis, inſignis acinace dextro.*

*Quorum vocativus, ut opinor, ſimilis eſt recto, ò Pyllades; ò Euphrates, ò Oreſtes.*

*Achille autem, & Ulyſſe cùm ultimam habent brevem, ſuſpicor vocativos eſſe priſcos, ab Achilleus, Achillee, Ulyſſeus, Ulyſſee, ultimo e, rejecto: Aut certè ex vocativo Græco Achilleu, Ulyſſeu,* u, *litteram abiectam eſſe. In nominum declinatione Priſcianum ſequuti, diximus vocativos Ulyſſe, Achille, more Dorico, factos eſſe: Chreme tamen, & Lache, & quæ apud Græcos tum quintæ, tum primæ declinationis ſunt, crediderim lon-*
Lib. 4. *ga eſſe. Unum duntaxat, quod ſciam, eſt carmen Propertii extremo, quo Achille ultimam corripere probemus, quod tamen pluris faciendum eſt, quam Priſciani conjectura.*

*Et Perſen precavi ſimulantem pectus Achillis,*
*Quique tuas proavus fregit, Achille, domos.*

Vide. *Vide, ferè ultimam corripit, cùm ei particula, ſis adjungitur.*

Satyr. 1. Perſius; *Sed quid opus teneras mordaci radere vero*
*Auriculas? videſne majorum tibi fortè.*

Lib. 5. *Rariùs per ſe poſitam:* Valer. Flac.... *Ille profundo Incumbens Odruſſa mero, vide lata comantem*
*Pectora, & ingenti turbantem pocula barba.*

Vale. *Vale, nonnunquam etiam breve eſt.*

Triſt. 2. Ovid. *Idque quod ignoti faciunt, vale dicere ſaltem.*

*Cum priſcis ſeculis multa verba, quæ hodie ſunt declinationis ſecundæ, fuerint tertiæ, non mirum eſt ſi aliquando à poetis correpta inveniantur. Valdè, ut ajunt pro validè, dicitur, media littera extrita.*

Mart. *Nec valdè vitium periculoſum eſt.*

*I, in*

### *I, in fine.*

I Vocali terminata longa ſunt, ut *claſſi*, *fieri*.

Virg. *Sic fatur lacrymans, claſſiq; immittit habenas.* Æn. 6.

Mart. *Quàm vellem fieri meus libellus.* Lib. 8.

## EXCEPTIO I.

Corripe, Niſi, Quaſi: & Græca, quæ in I, vel Y, exeunt, ut *Palladi, Daphni, moly*.

Ovid. *Quid niſi, Pierides, ſolatia frigida reſtant?* De Pô. 4.

Mart. *Cum dixi ficus rides quaſi barbara verba.* Lib. 5.

Stat. *Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum Fortè diem.* Achil. 1.

Virg. *Inſere Daphni pyros: carpent tua poma nepotes.* Eclog. 9.

Ovid. *Moly vocant ſuperi, nigra radice tenetur.* Met. 14.

## EXCEPTIO II.

Mihi, Tibi, Sibi, ultimam habent communem, Ibi, Ubi, Cui, cùm diſyllabum eſt, frequentiùs corripiuntur.

Virg. *Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.* Æn. 1.

Idem. *Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.* Eclog. 10 Lib. 1.

Mart. *Sed norunt cui ſerviant leones.* Lib. 7.

Idem. *Me legit omnis ibi ſenior, juveniſque puerque.* In Epod.

Horat. *Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis.*

*Quaſi, à Lucretio, Niſi, à Ruſo producitur: tu optimos Poetas imitare. Græca nomina primæ declinationis, ut Pylades, Oreſtes, &c. cum ad tertiam Latinorum tranſeunt, ut Pyladis, Pyladi, Pyladem, Latinorum præceptis metienda ſunt.*

Lib. 10. Mart. *Quid quod nil unquam Pyladi donavit Oreſtes.*
Ibidem. *Teque putas Pyladi Calliodore parem?*
*Adverbium* Uti *producitur. Compoſitum*, Sicuti,
Lib. 2. *ajunt ultimam ſemper corripere apud Lucretium.*
*Sicuti quadrupedum cum primis eſſe videmus.*

*O, in fine.*

O, Finita ambigua ſunt, ut *Quando, vigilando, nolo.*
Lib. 5. Mart. *Nolo mihi ponas rhombum, nullumve bilibrem:*
*Nolo boletos, oſtrea nolo: tace.*

## *EXCEPTIO I.*

EXcipe monoſyllaba, ut ò, *do, ſto*, Dativos, & Ablativos, ut *ſomno, tuo*; Item Græca, quæ habent O magnum, ut *Androgeo, Atho, Clio, Alecto*, & cætera ejuſdem generis: quibus accedit Ergò pro cauſa.
Æn. 2. Virg. *O Lux Dardaniæ, ſpes ò fidiſſima Teucrum.*
Ibidem. Idem. *Invadunt urbem ſomno, vinoque ſepultam.*
Æn. 7. Idem. *Luctificam Alecto dirarum ab ſede ſororum.*
*Infernisque ciet tenebris.*

## *EXCEPTIO II.*

ITem Adverbia à Nominibus orta, ut *ſubitò, meritò, multò*, quibus adduntur, *adeò, ideò*.
Hinc rurſus excipiuntur, *Modò, quomodo, dummodo, poſtmodò, citò, imò*, quibus accedunt, *ſcio, neſcio, duo*.
Lib. 5. Mart. *Mentiris juvenem tinctos Lentine capillis.*
*Tam ſubitò corvus, qui modò cygnus eras.*
Lib. 6. Idem. *Non habet ergo aliud? non habet imò ſuum.*
Luc.

Luc. *Huc illuc jactatur aquis, adeone moleſta, &c.* Lib. 8.
Mart. *Non reddes; Ideo, Cæciliane, rogo.* Lib. 6.

---

## *EXCEPTIO III.*

ADverbium *Serò*. Conjunctio *Verò*, ultimam habent communem.

Mart. *Pro meritis cælum tantis Auguſte, dederunt.* Lib. 5.
*Alcide citò DI; ſed tibi ſerò dabunt.*

Val. Flac. *Sin verò preces, & dicta ſuperbus, Reſpuerit.*

---

G*Erundia ſæpius producuntur.*
Luc. *Perdidit ò qualem vincendo plura triumphum.* Lib. 3.
*Audendo magnus tegitur timor, arma capeſſam.* Ibid.
Juv. *Plurimus hic æger moritur vigilando, ſed illum.* Satyr. 3.
*Illico, cedo, pro dic, ajunt ſemper corripi.* Illico.
*Ego non raro habet ultimam longam; admonendi tamen ſunt pueri, ut eam corripiant.* Cedo.
Ovid. *Sed quid ego revoco hæc? nomen revocantis abeſto.* In Epiſt.
Corn. Gallus. *Sum grandævus ego, nec tu minus, &c.* Idem.
*Sic cunctis formoſus ego gratuſque videbor.*
Auſonius *in epigrammate de Crœſò.*
*Sicut ego ſolus, me quoque pauperior.*
Serò, *frequenter reperitur breve.*
Mart. *Serò dedit pœnas, diſcerpi noxia mater Debuerat.* Lib. 5.
Stat. *Serò memor thalami, mœſtæ ſolatia morti.* 1. Theb.
Verò, *rariùs reperitur breve.* Verò.
Illud Silii. *Lux oritur mihi magno ſatis, ſat verò ſuperque.* Lib. 9.
*Bellandi merces ſit gloria; Vera habet in correctis libris, quemadmodum res ipſa poſtulat.*
*Sedulò, mutò, crebrò, profectò corripies, cùm legeris apud bonos poetas.* Sedulò.

### *V, in fine.*

U, Finita longa ſunt, ut *Manu, Cornu, Panthu.*
Æn. 2. Virg. *Tela manu miſeri jactabant irrita Teucri.*
Æn. 9. Idem. *Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.*
Met. 11. Ovid. *Nec mora, curvavit cornu nervaque ſagittam Impulit.*
Æn. 2. Virg. *Quo res ſumma loco Panthu? quam prendimus arcem.*

---

### *B, D, T, in fine.*

B, D, T, litteris terminata corripiuntur; ut *Ab, quid, audiit.*
Æn. 6. Virg. *Tum pater Æneas puppi ſic fatur ab alta.*
Æn. 2. Idem. *Quidquid id eſt, timeo Danaos, & dona ferentes.*
Æn. 6. Idem. *Audiit, & Triviæ longè lacus audiit amnis. Sulphurea Nar albus aqua, fonteſq; Velini.*

---

*PEregrina ferè apud Hebræos producuntur: ut Achab, Aminadab, Joſaphat, quæ per Camets, hoc eſt vocalem longam ſcribuntur; Jacob, Job, Lot, quæ per Cholem; David per I breve. Audiit, leniit, mugiit, & reliqua generis ejuſdem tam corripiunt ultimam cum imminuuntur, quam cum plena ſunt, Audivit, lenivit.*
Æn. 8. Virg. *Leniit, & tacita refluens ita ſubſtitit unde.*
Ibid. *Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita fefellit.*

*Nec te moveat, quod aliquando a poetis ultima producatur, quoniam id per cæſuram fieri ſolet.*
Met. 3. Ovid. ——— *pro fontibus ille, lacuque*
Faſt. 4. *Interiit: at vos pro fama vincite veſtra.*
Serm. 1. Idem. *Nox abiit, oriturque Aurora, Palilia poſcor.*
Satyr. 9. Horat. *Quum gravius dorſo ſubiit onus, incipit ille.*

*Veriſimilius tamen eſt, ultimam produci, cùm duæ vocales in unam longam contrahuntur: quòd fit poſt imminutionem verborum, ut ex obiit, obit, ex petiit,*

petit,

*petit, duplici ii, in unum coaleſcente: quemadmodum in verbis, Deſlêram, probâram, reſpiraro, & cæteris id genus, Deſleveram, plenum imminuitur, extrita* u, *littera Deſleeram, deinde utrumque* e, *in* e, *longum coaleſcit. Probaveram, probaeram, inde probaram* a, *&* e, *in* a *longam coaleſcentibus.* Juvenal.
*Magnus civis obit, & formidatus Othoni: pro obiit.* Satyr. 6.
Virg. *Sceptra Palatini, ſedemque petit Evandri: pro petiit.* Lib. 9.

---

## *C, in fine.*

C, Littera finita longa ſunt, ut *ſic, hoc, hic,* adverbium.
Virg. *Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.* Æn. 3.
Idem. *Hoc Helymus facit; hoc evi maturus Aceſtes.* Æn. 5.
Idem. *Claſſibus hic locus, hic acies certare ſolebant.* Æn. 2.

---

## *EXCEPTIO I.*

COrripe, *Donec, Nec.*
Ovid. *Donec eris felix multos numerabis amicos.* Triſt. 1.
Idem. *Parve, nec invideo, ſine me liber ibis in urbem.* Ibid.

---

## *EXCEPTIO II.*

HIc, pronomen virile, anceps eſt.
Vir. *Hic vir, hic eſt, tibi quē promitti ſæpius audis.* Æn. 6.
Idem. *Eſt hic, eſt animus lucis contemptor, & iſtum.*
Verbum Fac, tutiùs corripitur.
Ovid. *Hoc fac Armenios, hæc eſt Danaeja Perſis.* Lib. 9.
Mart. *Signa rarius, aut ſemel fac illud.* Lib. 5.

---

L*Ac, ut pleriſque Grammaticorum placet, corripitur: ſine ullo tamen veterum teſtimonio à Sereno producitur; Lucaſinæ, placidæque bovis prodeſſe loquun-* Lac.

*quuntur. Cui, ſi teſtis eſſet locuples, potiùs quàm Grammaticis credendum eſſet.*

Hebræa, *ſi in* Sedech, *aut* Melech *exeunt, ultimam corripiunt, ut Melchiſedech, Abimelech, ſcribuntur enim per Segol, Sadoch per Cholem. Magog peregrinum eſt, & tam ab Hebræis, quàm Græcis per ω ſcribitur.*

*H, littera, vel potiùs aſpirationis nota finita, ſi Latina ſint, vocalium præceptionibus metienda ſunt, ut* Vah, Ah, *quæ longa ſunt. Si peregrina, ut Joſeph, cujus ultima longa eſt natura: ſcribitur enim ab Hebræis per tzere, hoc eſt, η, ſive* e, *longum.*

*L, in fine.*

L, Finita, brevia ſunt, ut *Aſdrubal, ſemel, vigil, ſimul, conſul.*

Lib. 7. Sil. *Vertit terga citus, damnatis Aſdrubal auſis.*

Epiſt. 1. Hor. *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem Teſta diu.*

*EXCEPTIO.*

S*Al, Nil, Sol,* longa ſunt. Item pleraque peregrina, ut *Nabal, Daniel, Saul.*

Silv. 4. Stat. *Non ſal, oxyporumve, caſeuſve.*

Lib. 10. Mart. *Nil aliud video, quo te credamus amicum.*

Met. 2. Ovid. *Ulterius ſpatium medio Sol altus habebat.*

P*OL, Ennius apud Macrobium corripuit.*

*Nec pol homo quiſquam faciet tam impune animatus.*

*Non omnia peregrina corripiuntur; Baal enim ab Hebræis per Patach, id eſt* a, *breve ſcribitur: & Regol per Segol, ſeu* ȩ: *Abigail per* i, *breve, Michòl per Chateph-camets, hoc eſt* o, *minus: à Græcis etiam per* o, *minus. Quare hæc ſi incrementa recipiant, corripiuntur: Baalis enim dicam penultima brevi, ut Annibalis.*

*M, in*

### *M, in fine.*

M Finita, priſcis temporibus corripiebantur; neque à ſequenti vocali, ut modo fit, excipiebantur: quod etiam nunc in compoſitis verbis cernitur.

Ennius. *Inſignita ferè tum millia militum octo.* Annal. 10.
*Duxit dilectos bellum tolerare potentes.*

Juven. *Quò te circumagas? quæ prima aut ultima ponas.* Satyr. 9.

*Poſteri, ſequente vocali, m, litteram cum præcedente vocali elidendam putarunt, quæ figura Ecthlipſis dicitur; de qua paulò poſt.*

---

### *N, in fine.*

N Littera finita longa ſunt, ut *Sin, Titan, Siren, Salamin, Actæon*, & cætera tertiæ declinationis, quæ in On, exeunt.

Vir. *Sin abſumpta ſalus, & te pater optime Teucrum.* Æn. 1.
Lucan. *Unde venit Titan, & nox ubi ſidera condit.* Lib. 1.
Ovid. *Actæon ego ſum dominum cognoſcite veſtrum.* Met. 3.

Item Accuſativus Græcus nominum in As, Es, E, ut *Ænean, Anchiſen, Calliopen.* Græcus itidem Genitivus multitudinis cujuſvis declinationis, ut *Cimmerion, Epigrammaton.*

Virg. *Et lævum Ænean agnovit Turnus in armis.* Æn. 11.
Idem. *Amitto Anchiſen: hic me pater optime feſſum Deſeris.* Æn. 3.
Tibul. *Cimmerion etiam obſcuras acceſſit ad oras.* Lib. 4.

---

### *EXCEPTIO I.*

COrripe, *An, In, Forſan, Forſitan, Tamen, Attamen, Viden'.* Item, En, ſyllaba finita, quæ faciunt Genitivo Inis, ut *nomen, lumen, flumen.*

Æn. 2. Virg. *Forſitan, & Priami fuerint quæ fata requiras.*
Æn. 1. Idem. *Hic tamen ille urbem Patavi, ſedeſq; locavit.*
Theb. 3. Statius. ——— *ferrumq; quod amens,*
*Ipſa dedi viden' ut jugulo conſumpſerit enſem?*
Faſt. 2. Ovid. *Nomen Arionum Siculas impleverat urbes.*

---

## EXCEPTIO II.

COrripiuntur etiam Græca in On, quæ ad ſecundam noſtram declinationem ſpectant, ut, *Pelion, Ilion, Erotion.*

In Epiſt. Ovid. *Ilion, & Tenedos, Simoiſq; & Xanthus, & Ida.*
Lib. 5. Mart. *Pallida nec nigras horreſcat Erotion umbras.*

Omnes denique Accuſandi caſus, qui à nominibus ultimam brevem habentibus proficiſcuntur, ut *Scorpion, Thetin, Ityn, Majan, Æginan.*

Lib. 1. Lucan. *Scorpion incendis cauda, chelaſq; peruris.*
Met. 7. Ovid. *Tantaq; nox animi eſt; Ityn huc accerſite, dixit.*
Theb. 7. Stat. *Namq; ferunt raptam patriis Æginan ab undis.*

---

*HYmen ultimam producit, quia à Græcis per I, longum ſcribitur, Catul.*

*Hymen, ò Hymenæe, Hymen ades, ò Hymenæe. Idem tamen alibi, ſolita licentia, eandem corripuit.*

*De Scin', audin', noſtin', pro Sciſne, audiſne, noſtine; magna inter Grammaticos diſſenſio eſt. Quare dum res in dubio eſt: tutiùs puto ab his omnibus abſtinere, uno Viden' excepto.*

Serm. 2. *Nemon' ab Horatio producitur.*
Sat. 7. *Convivam nemon' oleum feret ocyus; ecquis.*

*Menelaos, Scorpios, Pylos, Thetis, Itys, Maja, Ægina quemadmodum Nominativi ultimam corripiunt, ita, & Accuſativi.*

InEpiſt. Ovid. *Tu fore tam lentim juſta Menelaon in ira.*
*Et geminos fratres, Tyndareumq; putas;*

Idem. *Maian, & Electran, Taygetanque Jovi.* Faſt. 4.
*Tethyn produxit Martialis.* Lib. 10.
*Et viridem Tethyn. Oceanumque patrem.*
Silius. *Tum penitus telo molitus regna tridenti.* Lib. 17.
*Intima, ab occaſu Tethyn impellit, & ortu.*

---

## *R, in fine.*

R, Littera terminata corripiuntur, ut *Amilcar, ſemper, ſemivir, cor, precor, Hector, turtur.*

Sil. *At ſenior* Siculis exultat Amilcar in armis.* Lib. 2.
Virg. *Semper honos, nomenq; tuum, laudeſq; manebunt.* Æn. 1.
Luc. *Inſerviſſe manus impure, ac ſemivir, audes?* Lib. 8.
Ovid. *Molle cor ad timidas ſic habet ille preces.* Triſt. 5.
Juven. *Tolle tuum, precor, Annibalem, victumque Syphacem.* Satyr. 6.
Ovid. *Inſerias dederat cum fratribus Hector inanes.* Met. 12.
Virg. *Nec gemere acria ceſſabit turtur ab ulmo.* Eclog. 1.

---

## *EXCEPTIO.*

PRoducitur *Cur, Far, Fur, Iber, Lar, Nar, Ver, Par,* cum compoſitis, ut *Compar, diſpar, & Impar*; Græca faciunt Genitivo Eris, ut *Aer, Æther, Crater.*

Horat. *Deſcriptas ſervare vices, operumque colores.* In Art.
*Cur ego, ſi nequeo ignoroque poeta ſalutor,*
Mart. *Callidus effracta nummos fur auſeret arca.* Lib. 6.
Luc. *Si tibi durus Iber, aut ſi tibi terga dediſſet Cantaber.* Lib. 5.
Hor. *Ludere par, impar, equitare, in arundine longa.* Serm. 2.
Virg. *Largior hic campos æther, & lumine veſtit.* Satyr. 6.

---

## *APPENDIX.*

CEltiber, à Martiale corripitur.
*Ducit ad auriſeras quod me Salo Celtiber oras:*

*As, in fine.*

AS, ſyllaba finita longa ſunt, ut *Æneas, Pallas; Pallantis; fas, nefas.*

Æn. 10. Virg. *Æneas ignarus abeſt ignarus, & abſit.*
Ibid. Idem. *Tela manuſq; ſinit: hinc Pallas inſtat, & urget.*
Geor. 1. Idem. *Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus. Fas, & iura ſinunt.*
Satyr. 13. Juven. *Credebant hoc grande nefas, & morte piandum. Si iuvenis vetulo non aſſurrexerat.*

---

*EXCEPTIO.*

COrripe Græca, quorum genitivus exit in Adis, ut *Arcas, Pallas, Palladis.*

Item Accuſativos tertiæ declinationis nominum, Græcorum, ut *Troas, Delphinas, Heroas.*

Met. 6. Ovid. *Pallas anum ſimulat, falſoſq; in tempora canos Addit.*
Lib. 9. Mart. *Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat.*
In Epiſt. Ovid. *In te fingebam violentos Troas ituros.*
Eclog. 4. Virg. *Permiſtos Heroas, & ipſe videbitur illis.*

---

M*Aſculina primæ declinationis, ut Æneas, Menalcas, Damœtas, Hermagoras longa ſunt.*

*Elias ab Auſonio corripitur, quod aliter carmen ingredi minimè poſſet. Item tertiæ, quorum Genitivus in Antis exit ultimam producunt, ut Calchas, Atlas.*

Lib. 9. Mart. *Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota.*

---

*Es, in fine.*

ES, ſyllaba terminata longa ſunt, ut *Anchiſes, locuples, quoties, octies, decies, tricies, &c.*

Æn. 9. Virg. *Anchiſes alacris palmas utraſq; tetendit.*

Mart.

Mart.*Orbus es, & locuples, & Bruto conſule natus.* Lib. 12.
Idem.*Dicere te laſſum quoties ego credo Quirino?* Lib. 10.
Idem.*Uno naſceris octies in anno.* Lib. 8.
Idem.*Ægrotas uno decies, aut ſæpius, anno.* Lib. 12.

## EXCEPTIO I.

Corripe nomina tertiæ declinationis, quæ creſcunt in obliquis, penultima brevi, ut *Dives, eques, hoſpes, pedes.*

Virg.*Inſula dives opum, Priami dum regna manebant.* Æn. 2.
Idem.*Obvius armato, ceu cum pedes iret in hoſtem.* Æn. 6.

Præter *Abies, Aries, Ceres, Paries, Pes*, cum compoſitis, ut *Cornipes, Sonipes.*

Virg.*Populus in fluviis, abies in montibus altis.* Eclog. 7.
Lucan. *Non aries illis, non ulla eſt machina belli.* Lib. 8.
Virg.*Flava Ceres alio nequicquam ſpectat Olympo.* Geor. 1.
Ovid.*Nec pes ire poteſt, intra quoq; viſcera ſaxum eſt.* Met. 6.
Virg.*Stat ſonipes, & frena ferox ſpumantia mandit.* Æn. 4.

## EXCEPTIO II.

ES, à verbo Sum etiam breve eſt, & ex eo compoſita, ut *potes, ades*: Item *penes*: Græca neutra in Es: ut *cacoethes*. Præterea nominandi, Vocandique caſus Græcorum, ut *Arcades, Troes.* Æn. 2.

Virg.*Quiſquis es, amiſſos jam hinc obliviſcere Grajos.* Lib. 6.
Mart.*Tu potes, & patriæ miles, & eſſe decus.* In Arte.
Horat.*Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.*
Juven. ——— *tenet inſanabile multos.* Satyr. 2.
*Scribendi cacoethes, & ægro in corde ſeneſcit.*
Virg. *Arcades inſuetas acies inferre pedeſtres.* Æn. 10.
Idem.*Egreſſi optata potiuntur Troes arena.* Æn. 2.

*REctè docet Probus in Catholicis, Teres, eſſe breve. Res correpta, inquit, tis faciunt Genitivo, teres, teretis.*

*Cujus ſententiam Vir bonus Virgilianus confirmat.*
*Securus mundi inſtar habens, teres, atque rotundus.*

---

## *Is, vel Ys, in fine.*

IS, vel Ys, finita corripiuntur, ut *Apis, inquis, Ais, Thetis, Tiphys, Itys*.

Met. 13. Ovid. *Non apis inde tulit collectos ſedula flores.*
Lib. 5. Marc. *Non eſt, inquis, idem, multo plus eſſe probabo.*
Satyr. 4. Perſius. *Hunc ais? hunc diis iratis, genioq; ſiniſtro.*
Achil. 1. Stat. *Jam dudum tacito luſtrat Thetis omnia viſu.*
Eclog. 4. Vir. *Alter erit tum Typhys, & altera quæ vehat Argo Delectos Heroas.*

---

## *EXCEPTIO I.*

EXcipe caſus omnes multitudinis, ut *viris, armis, Muſis, nobis, vobis, quis*, pro *quibus, omnis, urbis*.

Item *Glis, Vis*, Nomen, & Verbum, *velis, ſis*, cum compoſitis, ut *quamvis, nolis, adſis*.

Et ſecundas perſonas quartæ conjugationis, ut *Neſcis, ſentis*.

Æn. 1. Virg. *Præſentemq; viris intentant omnia mortem.*
Lib. 1. Luc. *Plus illa vobis acie, quàm creditis actum eſt.*
Æn. 1. Virg. —— *ò terque quaterque beati.*
*Quis ante ora patrum, Troiæ ſub mœnibus alta. Contigit oppetere.*
Æn. 1. Idem. *Non ea vis animo; nec tanta ſuperbia victis.*
Lib. 9. Mart. *Jam ſatis eſt; non vis, Auſer avare? vale.*
Lib. 3. Luc. *Quamvis Heſperium mundi properamus in axem.*
Lib. 1. Mart. *Neſcis, heu neſcis dominæ faſtidia Romæ.*

## *EXCEPTIO II.*

LOnga præterea ſunt, quorum Genitivus exit in *idis*, *entis*, *itis*, penultima longa, ut *Salamis*, *Simois*, *ſamnis*, *lis*.

Ovid. *Hæc ibat Simois, hic eſt Sigeia telus.* In Epiſt.

Hor. *Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.* In arte.

---

*AIO, tertiæ eſſe declinationis, docet ſecunda perſona brevis, Ais; videtur tamen priſcis temporibus quarti ordinis fuiſſe. Nævius enim apud Priſcianum* Lib. 10. *ſic ait: An nata eſt ſponſa prægnans; vel ai, vel nega.*

*Quæ in Ys, per Y, exeunt, ferè corripiuntur.*

Virg. *At Capys, & quorum melior ſententia menti.* Æn. 2.

*Tethys tamen yos [non Thetis, idis] videtur anceps.*

Virg. *Teq; ſibi generum Thetys emat omnibus undis.* Georg. 1.

*Quod etiam ex Accuſandi caſu, qui Nominandi ſequitur intelligitur.*

Sil. *Tum penitus telo molitus regna tridenti.* Lib. 17.

*Intima ab occaſu, Tethyn impellit, & ortu.*

Mart. *Et viridem Tethyn, Oceanumq: patrem.* Lib. 10.

*Rariſſimè enim hic, maximè apud Martialem, producitur brevis cæſuræ beneficio. Sed quid mirum, an non etiam prior vocalis, quæ à Græcis per η ſcribitur; interdum corripitur?*

Senec. in Troad.

*Placidumque numen æquoris tumidi Thetys.*

*Ovid. Poſteriorem corripit.* Faſt. 4.

*Thetys, & extremo ſæpe recepta loco eſt.*

*Ris, ultima ſuturi conjunctivi modi ſæpiſſimè corripitur.*

Mart. *Is mihi dives eris, ſi cauſas egeris, inquit.* Lib. 2.

Idem. *Hos tu ſeu pariter, ſive hanc, illumve priorem.* Lib. 5.

*Videris, hoc dices: Marcus avere jubet.*

Idem. *Nec porrexeris iſta, ſed teneto.*

Horatius in Arte.

*Dixeris egregiè notum ſi callida verbum.*
*Reddiderit junctura novum.*

Lib. 1. Lucan. *Ætheris immenſi partem ſi preſſeris unam.*
*Reperitur interdum hoc tempus longum; ſed crede id cæſuræ attribuendum.*

Velis. *Velis*, Perſius.

Satyr. 5. *Ne trepidare velis, atque arctos reddere caſſes.*
Lib. 13. Mart. *Naſutus ſis uſq; licet, ſis denique naſus.*
Ibidem. Idem. *Et poſſis ipſum tu deridere Latinum.*

---

*Os, in fine.*

OS finita longa ſunt, ut, *Os, oris, Erectos, Tros, Minos, Heros, Athos, Androgeos*, & cætera quæ per *O, magnum*, ſcribuntur.

Met. 1. Ovid. *Os homini ſublime dedit, cœlumq; videre.*
*Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*
Æn. 6. Virg. *Tros Anchiſiade, facilis deſcenſus Averni.*
Æn. 2. Idem. *Primus ſe Danaum, magna comitante caterva.*
*Androgeos offert nobis, ſocia agmina credens.*

---

*E X C E P T I O.*

COrripe, *Os, oſſis, Compos, & Impos*, & Græca neutra, ut *Chaos, Melos, Argos*.

Æn. 6. Virg *Et chaos, & Phlegethon loca nocte ſilentia latè.*

Item Os, finita, quæ ad ſecundam Latinam declinationem tranſeunt, ut *Tyros, Arctos, Ilios*.

Lib. 3. Lucan. *Et Tyros inſtabilis, præcioſaq; murice Sindon.*
Lib. 9. Mart. *Neſcia nec noſtri nominis Arctos erat.*

Omnes denique Interrogandi caſus, à quibuſcunque rectis proficiſcantur, ut *Arcados, Pallados, Typhoëos, Tethyos, Tereos*.

Met. 1. Ovid. *Arcados hinc ſedes, & inhoſpita tecta tyranni.*
*Ingredior.*

Val. Flac. *Ipſa autem innuptæ jam Pallados erigit aras.* Lib. 8.
Ovid. *Alta iacet vaſti ſuper ora Typhoëos Ætna.* Faſt. 4.
Luc. *Tethyos unda vagæ lunaribus æſtuet horis.* Lib. 1.
*Ex compoſito* exos, *intelligimus os oſſis, breve eſſe.*
Lucr. *Exos, & exanguis tumidos perfluctuat artus.* Lib. 3.
Ovid. ——— *voti poſtmodò compos eris.*

---

## *Us, in fine.*

US, ſyllaba terminata brevia ſunt, ut, *littus, intus.* Et nominandi, vocandique caſus ſingulares quartæ declinationis, ut *domus, manus.*

Dativi, & Ablativi etiam plurales declinationis tertiæ, quartæ, & quintæ.

Virg. *Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.* Æn. 3.
Idem. *Apparet domus intus, & atria longa pateſcunt.* Æn. 2.
Idem. *Hic Dolopū manus hic ſævus tendebat Achilles.* Ibid.

---

## *EXCEPTIO.*

EXcipe monoſyllaba, ut *Plus, Rhus, Thus.*
Luc. *Plus illa vobis acie quàm creditis, actū eſt.* Lib. 1.

Et quæ creſcunt in obliquis penultima longa, ut *ſalus, telus, palus:* Et nomina quartæ declinationis, præter caſus antè dictos, ut *aditus, vultus.*

Ovid. *Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.* Met. 1.
Idem. *Juncta palus huic eſt denſis obſeſſa ſalictis.* Met. 11.
Mart. *Hos aditus Urbem Martis habere decet.* Lib. 8.

Denique Græca nomina, quorum Genitivus exit in Untis, ut *Opus, Amathus,* & quæ ex *pus* componuntur, ut *Tripus, Melampus:* quæque ex Oos contrahuntur, ut *Panthus,* ex *Panthoos.* Item genitivus à fœmininis in O, ut *Manto, Mantus, Clio, Clius, &c.*

Virg. *Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos, atq; Cythera.* Æn. 10.
Idem. *Panthus Otriades arcis, phœbiq; ſacerdos.* Æn. 2.
Idem. *Fatidica Mantus, & Tuſci filius amnis.* Æn. 10.

Huc etiam JESUS ſacroſanctum Domini, atque Redemptoris noſtri nomen, ſpectat.

---

## *APPENDIX.*

US, Finita non contracta, ab Os, ſyllaba profecta, corripiuntur, *Pamphagus*, *Oribaſus*, *Polypus*: quorum ultimum Æoles per os ſcribunt; unde à Latinis per Us, effertur, ultima brevi.

Met. 3. Ovid. *Pamphagus, & Dorcus, & Oribaſus, Arcades omnes.*

In Epiſt. Hor. *Polypus, an gravis hirſutis cubet hircus in alis.*

---

*JESUS nomen Hebræum eſt, à Græcis* Ιησȣ̃ς *ſcribitur, ab Hebræis Jesüa, cui præterea addunt conſonantem, cui nulla in Europa reſpondet.*

*Paulus ultimam producit.*

Æn. 6. Virg. *Fata obſtant, triſtique palus innabilis unda.*

Horatius eandem corripuit in Arte.

*Regis opus, ſteriliſq; diu palus, aptaq; remis: Aut certè t, littera eliditur: & u, vocalis ob ſequentem corripitur.*

## DE SYLLABA COMMUNI.

Communis ſyllaba, ut ſuprà diximus, eſt quæ modò brevis, modò longa apud poetas reperitur.

---

### *PRÆCEPTUM I.*

*De ſyllaba communi.*

ET Diphthongus, & Vocalis longa communes fiunt cùm vocalem diverſæ dictionis præcedunt.

*Breves.*

VIrg. *Inſulæ Jonio in magno quas dira Celano.* Æn. 3.
Id. *Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto.* Æn. 3.
Idem. *Credimus; an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.* Eclog. 8
Horat. *Si me amas, inquit, paulum hic ades. Interea, ſi* Serm. 1.
*Aut valeo ſtare, aut novi civilia jura.* Satyr. 9.
Proper. *Tu quoq; ò Eurition vino Centaure periſti.* Lib. 7.

---

*Longæ.*

VIrg. *Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,* Georg. 1.
Idem. *Stant, & juniperi, & caſtaneæ hirſutæ.* Eclog. 7.
Idem. *Lamentis, gemituq; & fœmineo ululatu.* Æn. 4.
*Tecta fremunt.*
Idem. *Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.* Eclog. 3.
Juven. *Quis cælum terris non miſceat, & mare cęlo,* Satyr. 2.
*Si fur diſpliceat Verri? homicida Miloni?*
Ovid. *O ego quantum egi: quàm vaſta potentia noſtra eſt.* Met. 2.

---

*Breves, & longæ in eodem verſu.*

VIrg. *Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.* Georg. 4.
Idem. *Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam.* Ibidem.

---

## PRÆCEPTUM II.

MOnoſyllaba brevia interdum à poetis, more Græcorum, producuntur.

Virg. *Liminaq; laurusq; Dei, totusq; moveri.* Æn. 3.
Juven. *Et animam, & mentem, cum qua dii nocte loquuntur.* Satyr. 6.

## *PRÆCEPTUM III.*

SYllaba brevis poſt quatuor primos pedes, maximè ſecundum, & tertium relicta, nonnunquam à poëtis producitur.

*Syllaba brevis poſt primum pedem producta:*

Æn. 4. VIrg. *Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.*
Æn. 11. Id. *Oratis? equidem, & vivis concedere vellem.*
Satyr. 6. Juven. *Quis neſcit? aut quis non vidit vulnera pali?*
Lib. 6. Mart. *Meq; ſinus omnis, me manus omnis habet.*

*Poſt ſecundum:*

Æn. 2. VIrg. *Hic primum ex alto delubri culmine telis.*
*Noſtrorum obruimur: oriturq; miſerrima cędes.*
Æn. 5. Idem. *Emicat Euryalus, & munere victor amici.*
Æn. 10. Idem. *Nam tibi Thymbre caput Evandrius abſtulit enſis.*
Achil. 2. Stat. *Namq; ſenex Tethidi, Proteus prædixerat uda.*
Lib. 14. Mart. *Det tunicam divos, ego te præcingere poſſum.*
Lib. 7. Idem. *Maximus ille tuus, Ovidi, Cæſonius hic eſt.*

*Poſt tertium.*

Æn. 5. VIrg. *Oſtentans artem pariter, arcumq; ſonantem.*
Æn. 3. Id. *Dona de hinc auro gravia ſectoq; elephanto.*
*Imperat ad naves ferri.*
Æn. 12. Idem. *Congredior, fer ſacra pater, & concipe fœdus.*
Achil. 2. Stat. *Nequa det indignos Thetidi captiva nepotes.*

Poſt

*Poſt quartum.*

VIrg. *Grajus homo infectos linquens profugus Hy-menæos.* Æn. 10.
Idem. *Ille latus niveum molli fultus hyacintho.* Eclog. 6.
Idem. *Muneribus tibi pampineo gravidus Autumno.* Geor. 2.

## *ADMONITIO.*

HIS tribus præceptionibus non in ſuis componendis, ſed metiendis veterum poetarum carminibus utentur Tirones.

*Huc ſpectant præterita imminuta, t, littera finita.*
Ovid. *Nox abiit, oriturq; Aurora, Palilia poſcor: & cætera, quæ ſuprà attulimus, cum de, t, littera finitis egimus.* Faſt. 4.

*Huc itidem videtur ſpectare ultima ſyllaba tam præteriti, quàm futuri conjunctivi modi cum longa reperitur.*
Ovid. *Da mihi te placidumq; dederis in carmina vires.* Faſt. 1.
Tib. *Reſpueris etiam Phœbo gratiſſima dona.* Lib. 4.
Item hæc quæ ſequuntur.
Juven. *Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.* Satyr. 8.
Sil. *Immane ſtridens agitur, crebroq; coactu, &c.* Lib. 9.
Mart. *Et digna ſpeculo fiet imago tua.* Lib. 2.

*Multæ denique his præceptionibus excuſantur, quæ alioquin brevia ſunt.*
Lucret. *Imbribus aut tabe membrorum ambuſta vacillent.* Lib. 8.
*Tabe enim poſteriorem aliàs habet brevem.*
Luc. *Cernit tabo jecur madidum, venaſq;minaces.* Lib. 5.
Macrob. *Docet à Græcis appellari lagarus verſus, qui in medio breves ſyllabas pro longis habent, ut,* cap. 14.
*—— & duros obice poſtes:*
*& Conſilium ipſe pater, & magna incœpta Latinus.*
Idem ſentit Diomedes lib. 3.

## *PRÆCEPTUM IV.*

VOcalis brevis ante mutam, & liquidam ejuſdem dictionis, ut ſupra dictum eſt, communis eſt in carmine, quamvis in ſoluta oratione ſemper corripiatur, ut *Atlas, volucris, Cleopatra, Patroclus, lugubris, funebris.*

Met. 4. Ovid. *Tempus Atla veniet, tua quæ ſpoliabitur auro*
*Arbor.*

Æn. 1. Virg. ——— *cithara crinitus Iopas.*
*Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.*

Æn. 4. Idem. *Cùm taces omnis ager pecudes, pictæq; volucres.*

Æn. 7. Idem. *Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis alveo.*

## *APPENDIX.*

SYllaba natura longa, nunquam corripitur, etiam ſi muta cum liquida ſequatur, ut *aratrum, volutabrum, involucrum, ſalubris,* & reliqua generis ejuſdem.

*Quarta hæc præceptio ſuo loco fuſius explicata eſt, ubi nonnulla dicta ſunt, quæ ad ejus perfectam cognitionem ſpectant.*

## *PRÆCEPTUM V.*

ULtima ſyllaba verſûs communis eſt, ſi quidem brevis pro longa ponitur.

Æn. 1. Virg. *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.*

Ibid. Idem. *Nate patris ſummi, qui tela Tiphoea temnis.*

Sextus enim pes Spondeus eſt, qui ex duabus longis conſtat.

Aut contra longa pro brevi.

Lib. 9. Mart. *Nobis non licet eſſe tam diſertis,*
*Qui Muſas colimus ſeveriores.*

Ulti-

Ultimus namq; pes Choreus eſt, qui ex longa conſtat, & brevi.

*Cicero in Oratore, ubi de pedibus agit: Nihil intereſt, inquit, Dactylus ſit extremus, an Creticus; quin poſtrema ſyllaba brevis an longa ſit, ne in verſu quidem refert.*

## *De Neceſſitate Metrica.*

LEX, neceſſitaſque metri cogit poetas, breves aliquando producere, velut cum ſunt tres breves continuæ in carmine Heroico, quod in *Italia, Priamide, Arabia*, aliiſque id genus uſu venit.

Virg. *Ibitis Italiam, portuſq; intrare licebit.* Æn. 3.

Idem. *Atque hic Priamidem laniatum corpore toto. Deiphobum vidi.* Æn. 6.

Proper. *Et domus intactæ te tremit Arabiæ.* Lib. 2.

Aut contra longas corripere, ut cùm brevis inter duas longas eſt.

Juven. *Fugerunt trepidi vera, ac manifeſta canentem. Stoicidæ.* Satyr. 2.

Stoicidæ, dixit, penultima brevi, neceſſitate metri conſtrictus: neque enim hexametrum carmen Creticum recipit; qui ex longa, brevi, & longa conſtat.

## *De Licentia Poetica.*

POetæ, quibus ſemper poteſtas fuit, ut inquit Horatius, quidlibet audendi, nulla coacti neceſſitate ſyllabis interdum pro ſuo jure abutuntur, *Tulerunt* enim *dederunt*, & nonnulla alia ejuſdem generis, penultima correpta efferunt.

Virg. *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.* Eclog. 4.

Hor. *Dii tibi divitias dederunt, artemq; fruendi.* Epiſt. 1.

## DE PEDIBUS.

QUoniam de ſyllabis, tum brevibus, tùm lòngis, tùm communibus dictum eſt, ſupereſt, ut de pedibus, qui ex ipſis ſyllabis, & de verſu, qui ex pedibus conſtat, breviter dicamus.

*Quid ſit Pes.*

PES, eſt pars versûs certo ſyllabarum numero, atque ordine definita.

*Pedes duarum ſyllabarum.*

SPondeus conſtat ex duabus ſyllabis longis, ut *poſſunt*, *omnes*.

Pyrrhichius ex duabus brevibus, ut *furor*, *ruit*.

Choreus ſeu, ut alii vocant, Trochæus, ex longa, & brevi, ut *arma*, *vincor*.

Jambus ex brevi, & longa ut *viros*, *rogas*.

*Pedes trium ſyllabarum.*

MOloſſus ex tribus longis, ut *Æneas*, *contendunt*. Trochæus, ſive Tribrachys ex tribus brevibus ut *facere tumidus*.

Dactylus ex longa, & duabus brevibus, ut *corpora traximus*.

Anapæſtus ex duabus brevibus, & longa, ut *animos*, *capiunt*.

Bacchius ex brevi, & duabus longis, ut *dolores*, *parabant*.

Antibacchius ex duabus longis, & brevi, ut *audiſſe*, *maturus*.

Creticus, ſeu Amphimacer ex longa, & brevi, & longa, ut *maximos*, *audiunt*.

Am-

Amphibrachys ex brevi, longa, & brevi, ut *cadebat*, *poema*.

---

### *Pedes quatuor ſyllabarum ex ſuperioribus compoſiti.*

DIſpondeus conſtat ex duobus Spondeis, ut *oratores*.

Proceleuſmaticus ex duobus Pyrrhichiis, ut *abiete*.

Dichoreus, ex duobus Choreis: ut *dimicare*.

Dijambus, ex duobus Jambis, ut *propinquitas*.

Choriambus, ex Choreo, & Jambo, ut *nobilitas*.

Antiſpaſtus, ex Jambo, & Choreo, ut *recuſare*.

Jonicus à majore, ex Spondeo, & Pyrrhichio, ut *calcaribus*, *cantabimus*.

Jonicus à minore, ex Pyrrhichio, & Spondeo, ut *Diomedes*, *Lacedæmon*.

---

### *Pæones.*

PÆones, quatuor ſunt: omnes ex tribus brevibus, & una longa conſtant, hac lege, ut *primus* primam habeat longam, *ſecundus* ſecundam, *tertius* tertiam, *quartus* quartam.

Pæon I. ex Choreo, & Pyrrhichio, ut *adſpicite*, *temporibus*.

Pæon II. ex Jambo, & Pyrrhichio, ut *Potentia*, *docebimus*.

Pæon III.ex Pyrrhichio, & Choreo,ut *animatus*, *moriamur*.

Pæon IV. ex Pyrrhichio, & Jambo, ut *calamitas*, *obierunt*.

*Epitriti, ſeu Hippii totidem ſunt, ſed ſuperioribus contrarii.*

EPitritus I, ex jambo, & ſpondeo, ut *repentino*, *repugnarunt*.

Epitritus II. ex choreo, & ſpondeo, ut *conditores*, *comprobarunt*.

Epitritus III. ex ſpondeo, & jambo, ut *diſcordiæ*, *clamaveras*.

Epitritus IV. ex ſpondeo, & choreo, ut *fortunatus*, *pugnabamus*.

---

*Pedes quinque ſyllabarum.*

QUinque ſyllabarum pedes inuſitati ſunt, præter Dochimum, oratoriæ compoſitioni maximè appoſitum: conſtat ex Jambo, & Cretico, ut *Reipublicæ*, *per horreſcerent*.

*Choreum ſolet Cicero appellare, quem pleriq; Grammatici Trochæum vocant: quem verò Tribrachym appellant, ille Trochæum nominat. Quinctilianus Ciceronem ſecutus, iiſdem nominibus utitur. Non ſunt tamen Grammaticorum vocabula, ut barbara, contemnenda, cùm etiam Quinctiliani ætate recepta fuerint.*

## DE VERSU.

VErſus eſt oratio certo genere, numero, atque ordine pedum alligata.

---

*Carmen Hexametrum ſive Heroicum.*

HExametrum carmen conſtat ſex pedibus; quorum quintus dactylus eſt, ſextus ſpondeus, reliqui dactyli, vel ſpondei.

Virg.

Virg. *Urbs antiqua ruit multos dominata per annos.* Æn. 2.

## APPENDIX.

QUintus pes nonnunquam ſpondeus eſt; unde verſus ſpondaicus appellatur, quo vel rei alicujus gravitas,& amplitudo,vel ingens mœror, animique angor, vel aliud declaratur.

Virg. *Cara Deum ſoboles magnum Jovis incrementum.* Eclog.4.

Idem. *Conſtitit, atq; oculis Phrygia agmina circumſpexit.* Æn. 2.

## PENTAMETRUM
### Carmen.

PEntametrum carmen,quod ferè Hexametrum comitatur,quinque pedes habet,quorum duo primi dactyli, vel ſpondei, pro cujuſque arbitrio ſunt, adjuncta ſyllaba longa, quæ cæſura, vel ſemipes dicitur; cæteri perpetuò ſunt dactyli, quibus ſemipes itidem adjungitur, ut ex utroq; ſemipede quintus pes fiat.

Vel tertiò loco eſt ſpondeus, qui alterius verbi fine, alterius initio conſtat, deinde duo anapæſti.

Ovid. *Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.* de Pon.4.
*Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt.*

## SENARIUS JAMBICUS,
### ſive Trimeter iambicus, Acatalectus.

SEnarius jambicus, cùm purus eſt, & integer, omnibus in locis jambos habet.

Hor. *Beatus ille, qui procul negotiis.* Omnes ſex pedes jambi ſunt, totidem enim pedes ſenarius admittit, unde & nomen invenit. In Epod.

Verùm. *Tardior ut paulo, graviorq; veniret ad au-*
In Art. *res*, ut Horatius ait, primo, tertio, & quinto loco ſpondeum, dactylum, & anapæſtum recipit.

Omnibus etiam locis, præterquam ſexto, Tribrachym poteſt recipere.

Ibidem. Horat.*Pavidumq; leporem, & advenam laqueo grūe,*
*Jucunda captat præmia.*

---

## DIMETRUM JAMBICUM ACATALECTICUM.

DImetrum Jambicum quatuor recipit pedes, ſecundo, & quarto loco jambos.

In Epod. Horat.*Has inter epulas ut juvat paſtas oves.*
*Videre properantes domum.*

Subſcribitur hic verſus interdum eleganter ſenario Jambico.

Lib. 1. Mart.*Vir Celtiberis non tacende gentibus,*
*Noſtræq; laus Hiſpaniæ.*

---

## SCAZON, SIVE CHORIAMBUS.

SCazon, ſemper quinto loco habet jambum, ſexto verò ſpondeum: cæteris omnibus cum Senario Jambico conſentit.

Mart.*Extemporalis factus eſt meus Rhetor.*
*Calphurnium non ſcripſit, & ſalutavit.*

---

*MEtimur omnia genera carminum pedibus duplicatis, præter Dactylicum; hoc eſt, Hexametrum, & Pentametrum, quod ex ipſis nominibus facilè intelligitur. Trimetra enim appellantur, quòd tribus metris, ſive menſuris conſtet, cùm tamen ſenos habeant pedes, unde, & ſenarii vocantur: Acatalecta dicuntur carmina integra, omnibuſq; ſuis nu-*

*meris*

*meris abſoluta : Catalecta, quibus deeſt una ſyllaba : Hypercatalecta, quæ ſyllaba una, aut duabus redundant : Brachycatalecta, quibus pes unus deeſt. Legitimus Senarius Jambicus ſexto loco Jambum habet, tamquam cuſtodem, defenſoremq; jambici ordinis : ex quo cùm fuerit deturbatus, atque in ejus locum ſubſtitutus ſpondeus claudicans, & Choliambus hoc eſt, claudus jambus appellatur : Tragœdiam ſcripturus, Senecæ trimetros diligenter inſpiciet obſervabitque quos pedes, quibus locis frequentiùs uſurpet.*

*Qui dialogos, aut Comœdias ſcripſerit; dummodo ultimus ſit jambus, ne de cæteris ſit ſollicitus : poterit enim hos quinque pedes ad arbitrium ſuum permiſcere.*

---

## *ANAPÆSTICUM DIMETRUM Acatalectum.*

ANapæſticum carmen, quo frequenter in choris utitur Seneca, conſtat quatuor pedibus, qui præcipuè ſunt anapæſti, permiſtis dactylis, vel ſpondeis.

Senec. *Lugebat æther, manuſq; parens.* Hercul. Furens.
*Ætheris alti, telluſque ferax,*
*Et vaga ponti mobilis unda.*

---

## *GLYCONIUM.*

GLyconium carmen conſtat ſpondeo, & duobus dactylis, quo Seneca interdum choros ſcribit. Thyeſt.

*Tandem regia nobilis*
*Antiqui genus Inachi.*
*Fratrum compoſuit minas.*

---

## *ASCLEPIADEUM.*

ASclepiadeum carmen conſtat ſpondeo, duobus choriambis, & pyrrhichio : vel ſpondeo, dactylo, & ſyllaba longa, deinde duobus dactylis.

Horat. *Mæcenas atavis edite regibus.*

## *PHALEUCIUM.*

PHaleucium carmen quinque pedibus conſtat, ſpondeo, dactylo, deinde tribus choreis.

Lib. 1. Mart. *Commendo tibi Quintiane noſtros,*
*Noſtros dicere ſi tamen libellos*
*Poſſum, quos recitat tuus poeta.*

*Verſibus bendecaſyllabis (ſic enim à numero ſyllabarum, etiam appellantur) plurimum utuntur, qui epigrammata ſcribunt.*

## *SAPPHICUM CARMEN.*

VErſus Sapphicus quinque pedes hoc ordine admittit, choreum, ſpondeum, dactylum, deinde duos choreos. Tertio cuiq; carmini ferè nectitur, Adonius, qui ex dactylo, & ſpondeo conſtat.

Carm. 1. Hor. *Integer vitæ, ſceleriſque purus,*
*Non eget Mauri iaculis, nec arcu,*
*Nec venenatis gravida ſagittis,*
*Fuſce, Pharetra:*
*Sive per Syrteis iter æſtuoſus.*
*Sive facturus per inhoſpitalem*
*Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus*
*Lambit Hydaſpes.*

Ode 1. *GLyconium carmen apud Horat. choreum habet initio, Ignis, Iliacas domos.*

Lib. 1. *Phaleucii pedibus abutitur Catullus; primæ enim*
Lib. 2. *ſeditum iambum, tum choreum attribuit, à quibus cæteri ferè abſtinent.* Mart. *tamen ad Severum, cum imitatus iambum poſuit pro ſpondeo.*
*Et cum currere debeas Bovillas.*
*Iter jungere quæris ad Camœnas.*
Alii legunt *Interiungere: & rectè.*

DE

## DE CARMINUM DIMENSIONE.

VErſus metimur pedibus, quibus metiendis non parum prodeſt ſyllabæ communis, Neceſſitatis metricæ, Licentiæ poeticæ, Figurarumq; cognitio.

### *EPISYNALOEPHE.*

EPiſynalœphe, quæ, & Synecphoneſis, & Syneręſis appellatur, eſt ſyllaba una ex duabus facta: quod fit cum duæ vocales in unam contrahuntur, ut *Alvearia, eadem, alveo, eodem, eoſdem, aureis, ærei, denariis.*

Virg. *Seu lento fuerint alvearia vimine texta.* Georg. 3.
Idem. *Una eademq; via ſanguis, animuſq; ſequuntur.* Æn. 10.
E, & A, in unam ſyllabam contrahuntur.
Idem. *Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis alveo.* Æn. 7.
Idem. *Uno eodemq; tulit partu, paribuſq; revinxit Serpentum ſpiris.* Lib. 12.
E, & O, vocales in unam coaleſcunt.
Idem. *Atria: dependent lychni laquearibus aureis.* Æn. 1.
Idem. *Pectora: nec miſero clypei mora profuit ærei.* Æn. 12.
E, & I, in unam ſyllabam coeunt.
Mart. *Denariis tribus invitas: & mane togatum.* Lib. 9.
*Obſervare jubes atria, Baſſe, tua.*

Duplex ii in unum contractum eſt, nam Denarius, A, longum habet.

IDem accidit Genitivus *Oilei, Achillei, Ulyſſei*, & Dativis Ablativiſq; *Tereo, Typhoeo*, & ſimilibus interdum, & Accuſativo *Typhoea.*

Virg. *Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei.* Æn. 1.
Idem. *Littora Achæmenides comes infelicis Ulyſſei.* Æn. 5.
Idem. *Inarime, Jovis imperiis impoſta Typhoeo.* Æn. 9.

Met. 6. Ovid. *Degeneras ſcelus, & pietas in coniuge Tereo.*
Met. 3. Idem. *Nec quo centimanum deiecerit igne Typhoea.*
*Nunc armatur eo.*

In primis E, & I, in ſecundis E, & O, in ultimo E, & A, in unam ſyllabam coaleſcunt.

In ſuperiorum contractione, delectu, & auctoritate opus eſt: at horum *Cui, huic, dii, diis, ii, iidem, iis, iiſdem, uſque adeo*, omnibus, uti licet, item adverbiorum *Deinde, dein, deinceps, dehinc*, & verbi *Deeſt, deerat, deerant, deerit, deerunt, deeſſe*, & eorum, quæ ex Semi, componuntur, ut *ſemianimis, ſemihomo*.

Met. 11. Ovid. *Iuncta palus huic eſt denſis obſeſſa ſalictis.*
Lib. 1. Luc. *Sed venient maiora metu: dii vota ſecundent.*
Lib. 4. Idem. *Iidem cum fortes animos præcepta ſubiſſent.*
*Optavere diem.*
Lib. 1. Idem. *Uſque adeo miſerum eſt civili vivere bello,*
Achil. 1. Stat. *Dehinc ſociare choros, caſtiſq; accedere ſacris*
*Hortantur.*
Lib. 8. Luc. *Non ulli comitum ſceleris præſagia deerant.*
Lib. 8. Mart. *Sint Mecænates, non deerunt, Flace, Marones.*
Lib. 3. Lucan. *Semianimes alii vaſtum ſubiere profundum.*
Æn. 8. Virg. *Semihominis Caci: facies quam dira tegebat.*

Huc etiam ſpectant, *anteambulo, onis, antehac, anteit* & ſi quæ præterea ſunt.

Lib. 2. Mart. *Sum comes ipſe tuus, tumidiq; anteambulo regis.*
Lib. 9. Lucan. *Plurimaq; humanis antehac incognita menſis.*
Æn. 12. Virg. *Qui candore nives anteirent, curſibus auras.*
Lib. 5. Mart. *Incipio quoties alicui tua dona referre.*
Epiſt. 1. Horat. *Cuilibet hic faſces dabit, eripietq; curule,*
*Cui volet importunus ebur.*
Triſt. 1. Ovid. *In cauſa facili cuivis licet eſſe diſerto.*

## SYNALOEPHE.

Synalœphe eſt, cum vocalis, aut diphthongus præcedentis dictionis à ſequenti excipitur, & quodammodo abſorbetur.

Virg.

Virg. *Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur.* Æn. 9.
Idem. *Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.* Æn. 2.
Idem. *Clamorem ad ſidera tollunt.* Æn. 10.
*Dardanidæ è muris: ſpes addita ſuſcitat iras.*

## EXCEPTIO.

O, & Heu, ſequente vocali, aut diphthongo, integra manent.

Virg. *O pater, ò hominum; divumq; æterna poteſtas.* Æn. 10.
Stat. *Heu ubi ſiderei vultus? ubi verba ligatis,* Theb. 5.
*Imperfecta ſonis?*

Ah, Hei, Hui, & cui, cùm eſt contractum, non videntur elidi ſequente vocali.

## APPENDIX.

INterdum nec vocalis, nec diphthongus, ut ſuprà diximus, à ſequenti vocali excipitur.

Virg. *Glauco, & Panopae, & Inoo Melicerte.* Geor. 1.
Idem. *Poſthabita coluiſſe Samo, hic illius arma.* Æn. 1.

Id quod multò rariùs accidit, ſi vocalis brevis ſit.

Idem. *Et vera inceſſu patuit Dea: ille ubi matrem.* Æn. 1.

## APPENDIX.

SYnalœphe, non ſolùm in eodem carmine, ſed in diverſis etiam locum habet.

Idem. *Et ſpumas miſcent argenti, vivaq; ſulphura,* Geor. 3.
*Idæaſq; pices.*
Virg. *Inſeritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida:* Geor. 2.
*Et ſteriles platani malos geſſere valentes.*
Idem. —— *quibus orbis in oris.* Æn. 1.
*Jactemur doceas, ignari hominumq; locorumq; Erramus.*

In his atque ſimilibus locis ultima vocalis præcedentis verſus excipitur, atque abſorbetur à prima ſequentis.

## *ECTHLIPSIS.*

ECthlipſis, eſt, cùm M littera, ſimul cum vocali eliditur, propter ſequentem vocalem.

Æn. 4. Virg. *Italiam, Italiam primus conclamat Achates.*

Satyr. 5. Perſ. *O curas hominum, ò quantum eſt in rebus inane?*

---

## *APPENDIX I.*

PRiſci, M, litteram cum vocali correpta ſervabant.

Lib. 1. Lucr. *Nam ſi tantundem eſt in lanæ glomere, quantum.*
*Corporum in plumbo eſt, tantundem pendere par eſt.*

Ann. 10. Ennius. *Infinita ferò cum millia militum octo.*

---

## *APPENDIX II.*

ECthlipſis, etiam in diverſis carminibus locum habet.

Æn. 7. Virg. *Jamq; iter emenſi, turres ac tecta Latinorum*
*Ardua cernebant juvenes, muroſq; ſubibant.*

Georg. 5. Idem. *Aut dulcis muſti Vulcani decoquit humorem.*
*Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.*

---

## *APPENDIX III.*

PRiſci Poetæ, S, litteram paſſim elidebant quòd ſi deinde concurrerent vocales, prior à poſteriore per ſynalœpham excipiebatur.

Ann. 7. Ennius. *Doctus, fidelis, ſuavis homo, facundus, ſuoq;*
*Contentus atque beatus, ſcitus, ſecunda loquens in*
*Tem-*

*Tempore, commodus, & verborum vir paucorum.*

Doctu ſi: cundu ſu, dactyli ſunt. In ſecundo verſu ex primo verbo exteritur, S, deinde fit ſinalœpha ſic: *Content' atque be.*

Rariſſimè apud poſteros videas hanc litteram extritam.

Cic. *Delphinus jacet haud nimio luſtratus nitore.* In Arte.
Aclion. *Longè erit à primo, quiſquis ſecundus erit.*

Luſtratus, & Quiſquis, S, amittunt.

---

## *DIÆRESIS, SIVE DIALYSIS.*

Diæreſis eſt, cùm ſyllaba una in duas dividitur, ut *aurai* triſyllabum, pro *auræ* diſyllabo, *ſylüæ, evolüam, evolüiſſe, diſolüo, beü, perſolüendus, ſüavis, jäm,* apud Comicos diſyllabum.

Virg. *Ætbereum ſenſum, atq; aurai ſimplicis ignem.* Æn. 6.
Hor. *Niveſque deducant Jovem.* In Epo.
*Nunc mare, nunc ſylvæ:*
Catul. *Condita quin veri pectoris evoluam.* ad Orat.
Ovid. *Debuerant fuſos evoluiſſe ſuos.* In Epiſt.
Catul. *Priſtina vota novo munere diſſoluo.* Ad liviã.
Ovid. *Vita data eſt utenda, data eſt ſine fænore nobis.*
*Mutua nec certa perſoluenda die.*
Mart. *Heu quam bene nunc Papyriane.* Lib. 8.
Virg. *Non lux non cibus eſt ſuavis illi.* de Livo.

*Aurai, aquai, aulai, pictai*; quibus Virgilius diverſis locis utitur, non fiunt à Genitivis *aurae, aquae, aulae, pictae*, eſſet enim ultima E, non I, ſed ab *Aurai, aquai, aulai, pictai*, diſyllabis. Sic enim priſci caſus Interrogandi, dandique primæ declinationis ſcribebant per *ai*, more Græcorum, non *ae*, ut poſt ſcripſerunt poſteri. Lege Quinct. lib. 1. cap. 7.

## *SYSTOLE.*

SYſtole eſt, cùm ſyllaba, naturâ longâ, corripitur.
Æn. 1. Virg. *Cùm ſubitò aſſurgens fluctu nimboſus Orion.*
Æn. 6. Idem. *Illi autem paribus, quas fulgere cernis in armis.*
Æn. 8. Idem. ——— *totumq; inſtructo Marte videres.*
*Fervere Leucaten, auroq; effulgere fluctus.*
Lib. 8. Sil. *Terruerunt pavidos accenſa Ceraunia nautas.*

Aut poſitione longa, ſed altera conſonante extrita, ut *obicis*, pro *obiicis*: *abici*, pro *abiici*.
Lib. 8. Lucan. *Cur obicis Magno tumulum, maneſq; vagantes?*
de Pon. 4. Ovid. *Turpe putas abici, quòd ſim miſerandus amicis.*

*Orion à Græcis per ω ſcribitur ὠρίων. Fulgere, effulgere, ait Probus, huc ſpectare: Fervere verò negat, quòd Fervo, Fervis, tertiæ conjugationis apud veteres lectum ſit. συστέλλειν corripere ſignificat, unde ſyſtole.*

---

## *ECTASIS, ſive DIASTOLE.*

ECtaſis eſt, cùm ſyllaba naturâ brevis ſimpliciter producitur.
Æn. 1. Virg. *Italiam fato profugus, Lavinaq; venit Littora.*
Theb. 2. Stat. ——— *ſeu caſtra ſubire.*
*Apparet, aut celſum crebris arietibus urbis.*
*Inclinare latus.*

Aut cùm eadem conſonans geminatur, ut *Relligio, relliquiæ, rettulit, reppulit.*
Æn. 2. Virg. *Relligione patrum multos ſervata per annos.*
Æn. 1. Idem. *Troas relliquias Danaum, atq; immitis Achillei.*
Epigr. Idem. *Vir bonus, & ſapiens, qualem vix repperit unū.*
Epiſt. 2. Hor. *Rettulit acceptos, regale numiſma, Philippos.*
Lib. 1. Luc. *Reppulit à Libycis immenſum Syrtibus æquor.*

Aut I, & V, vocales in conſonantes mutantur.
Æn. 11. Virg. ——— *cujus apertum.*
*Adverſi longa tranſverberat abiete pectus:*
Æn. 12. Idem. *Mænia, quiq; imos pulſabant ariete muros.*

Idem.

Idem.*Abietibus juvenes patriis, & montibus æquos.* Æn. 9.
Idem.*Hærent parietibus ſcalæ, poſteſq; ſub ipſos.* Æn. 2.
Sil.*Arietat in primos, obicitq; immania membra.* Lib. 4.

In his, & ſimilibus locis, I vocalis fit conſonans, itaque *abiete, ariete*, dactyli ſunt.

Idem.*Tenuja nec lanæ per cœlum vellera ferri.* Georg. 3.
Idem.*Genua labant vaſtos quatit æger anhelitus artus.* Æn. 5.

In his, vocalis in conſonantem, U, migrat; quare Tenuja dactylus eſt, itidem Genuala. Hæc eſt Probi ſententia. Sunt qui exiſtiment eſſe proceleuſmaticum. Neque mirari debes, ſi vocales mutentur in conſonantes, cùm eædem litteræ conſonantes interdum in vocales vertantur, ut *diſſoluo*, pro *diſſolvo*, & cætera quæ per diæreſin in duas ſyllabas dividuntur.

## *DE CÆSURA.*

SI pedes, maximè verſus Heroici, è ſingulis verbis conſtent, ineptum, & inſulſum fit carmen, ut

*Aurea ſcribis carmina, Juli, maximè vatum.*

Contra, ſi verba concidantur, ita ut mutuo amplexu pedes alii, ex aliis pendeant, pulcherrimus efficitur verſus.

Virg.*Semper bonos, nomenq; tuum, laudeſq; manebunt.* Georg. 1.
Idem.*Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.* Ibidem.
Idem.*Juſtitiaq; dedit gentes frænare ſuperbas.* Ibidem.
Idem.*Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.* Æn. 6.

Syllaba, quæ ex dictione cæditur, ac poſt quemvis pedem relinquitur, vulgò cæſura dicitur: cujus tanta eſt vis, ut ejus beneficio brevis ſyllaba producatur: eſt enim quoddam in ipſa diviſione verborum latens tempus: nam dum moramur, atque ad alias tranſimus, intervallum unum, ſpatiumque lucramur.

Virg. *Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.* Æn. 4.
Idem.*Emicat Euryalus, & munere victor amici.* Æn. 5.
Idem.*Una eademq; via ſanguis, animuſq; ſequuntur.* Æn. 10.

Idem.

Ibid. Idem. *Grajus homo infectos linquens profugus Hymeneos.*

Vides, ut ſyllabæ natura breves, poſt primum ſecundum, tertium, & quartum pedem producantur; id beneficium cæſuræ acceptum referunt.

## *APPENDIX.*

ANapæſtici verſus optimi putantur, ſi pedes ſinguli è ſingulis fiant verbis.

Thyeſt. Seneca. *Tertia miſit buccina ſignum.*
Ibid. Idem. *Nondum ſeræ nuntius horæ.*
Ibidem. Idem. *Curvo brevius limite currens.*

Qui tamen perpauci ſunt, ſi cum aliis conferantur.

Ibidem. Idem. *Pectora longis hebetata malis.*
*Jam ſollicitas ponite curas.*
*Fugiat mœror fugiatque pavor.*

Nec te illud prætereat: Anapæſticum verſum in choris nonnunquam pedem anapæſtum habere nullum.

## *DE PENTHEMIMERI,*
### *Hephthemimeri, &c.*

VEteres Grammatici verſum Heroicum in quatuor partes ſecant, quas, ſectiones ſive cæſuras appellant, *Penthemimerim*, *Trochaicam*, *Hephthemimerim*, *Bucolicam*, ſive *Tetrapodiam*.

Penthemimeris; latinè ſemiquinaria, conſtat ex duobus pedibus, & ſyllaba, quæ dictionem claudat, ut

Æn. 8. Virgil. *Ut belli ſignum*:
Æn. 10. Idem. *Panditur interea*:
Æn. 12. Idem. *Turnus ut infractos.*

Trochaica poſt duos pedes habet duas ſyllabas, longam, & brevem, ſive trochæum, qui dictionem terminet, ut

Eclog. 1. Virg. *Non omnes arbuſta.*

Idem.

Idem. *Infandum Regina .* Æn. 2.

Idem. *Excutiens cervice .* Æn. 12.

Hephthemimeris, latinè ſemiſeptenaria, continet tres pedes, & ſyllabam, quæ dictionem finiat, ut Virg. *Talibus Illioneus : cuncti*

Idem. *Multa ſuper Priamo rogitans ,* Æn. 1.

Idem. *Terram inter fluctus aperit .* Ibid.

Bucolica, ſeu Tetrapodia fit, ſi ſemiſeptenariæ duas breves adjunxeris, ut Ibidem.

*Talibus Illioneus : cuncti ſimul*
*Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper.*
*Terram inter fluctus aperit : furit.*

Hanc tamen poſtremam ajunt propriam eſſe Bucolici carminis, qua Theocritus plurimùm eſt uſus.

---

## *APPENDIX.*

VErſus, qui Heroico nomine digni cenſentur, modò cæſuram unam habent, ut

*Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce :*
*Panditur intærea domus omnipotentis Olympi.*
*Turnus ut infractos adverſo Marte Latinos.*

Omnes ſolùm ſemiquinariam habent.

Modò duas, ut

*Non omnes arbuſta juvant, humileſq; myrica.*
*Infandum Regina jubes renovare dolorem .*
*Excutiens cervice toros fixumq; latronis, &c.*

Omnes trochaica, & ſemiſeptenaria conſtant.

Modò tres, ut

*Talibus Illioneus : cuncti ſimul ore fremebant.*
*Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa .*
*Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.*

Omnes & ſemiquinariam, & ſemiſeptenariam, & bucolicam habent.

*Additur à nonnullis recentioribus Trimimeris, qua pedem unum, & ſyllabam habet, ut : Multa*

*ſuper: Item ἐννεημιμερὴς, quæ quatuor pedibus, & ſyllabis conſtat.*

Æn. 10. Virg. *Graius homo infectos linquens profugus.*

## DE VERBIS POETICIS.

VErborum licentiâ liberiores multò ſunt Poetæ, quàm Oratores, quibus aſſiduè, accuratéque legendis non ſolùm verba, ſed etiam cætera ornamenta iis, qui poeticæ ſtudio tenentur, diligentiſſimè ſunt obſervanda.

### *DE PATRONYMICIS NOMINIBUS.*

PRopria eorum ſunt, quæ à Grammaticis Patronymica vocantur, quòd à patrum, majorúmque nominibus facta filium, aut filiam, nepotem, aut neptem, aut ex poſteris aliquem ſignificent. Hæc ferè à Græcis nominibus fiunt, atque vel in Des, vel As, vel Is, vel Ne exeunt, quorum prima maſculina ſunt, & primæ declinationis, ut *Pelides, Achilles, Pelei filius.*

In Epiſt. Ovid. *Pelides utinam vitaſſet Apollinis arcus.*

Æacides, Achilles, Æaci nepos.

Æn. 1. Virg. *Sævus ubi Æacidæ telo iacet Hector, ubi ingens Sarpedon Æacides, Pyrrhus pronepos Æaci.*

Æn. 3. Idem. *Conjugio Æacide Pyrrhi, ſceptriſq; potitum.*

Æacides, Pyrrhus Epirotarum Rex ab Æaco originem habens.

Æn. 6. Idem. *Eruet ille Argos, Agamemnoniaſq; Mycenas Ipſumq; Æacidem genus armipotentis Achillei.*

Cætera fœminina ſunt, & declinationis tertiæ, exceptis ultimis, quæ ſecundæ ſunt Græcorum, ut *Theſtias, Althæa, Theſtii filia.*

Met. 8. Ovid, *Theſtias haud aliter dubiis affectibus errat.*

Thau-

Thaumantias, Iris, Thaumantis filia.
Virg. *Ad quem ſic roſeo Thaumantias ore locuta eſt:* Æn. 9.
Æolis, Alcyone, Æoli filia.
Ovid. *Æolis interea tantorum ignara malorum.* Met. 11.
Atlantis, Atlantidis, Electra Atlantis filia:
Virg. *Dardanus Iliacæ primus pater urbis, & auctor Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus.* Æn. 8.
Nerine, Nerines, Galatea filia Nerei.
Idem. *Nerine Galatea, &c.* Eclog. 7.

---

## *APPENDIX I.*

PAtronymica non ſolùm à patribus, avis, proavis, abavis, atavis, tritavis, aliiſque majoribus deducuntur, ſed etiam a matribus, ut *Iliades; Romulus ab Ilia: Phylirides, Chiron Centaurus à Phylira; Latois, idis,* vel *idos, Diana, à* λητὼ, hoc eſt, *Latona.*
Ovid. *Invadunt portaſq; petunt, quas obiice firmo Clauſerat Iliades.* Met. 14.
Idem. *Phylirides puerum cithara perfecit Achillem.* Met. 7.
Idem. *Præteritas ceſſaſſe ferunt Latoidos aras.*

Item à fratribus, ut *Phoronis, Io,* ſeu *Iſis, Phoronei ſoror, Phaetontias ſoror Phaetontis.*
Idem. *Nec ſuperum rector mala tanta Phoronidos ultra Ferre poteſt.* Met. 1.
Virg. *Tum Phaetontiades muſco circumdat amaræ. Corticis.* Eclog. 6.

A Regibus præterea, & Conditoribus, ut *Romulidæ Romani, a Romulo: Dardanidæ, Troiani à Dardano: Æneadæ,* ab *Ænea; Cecropidæ Athenienſes, à Cecrope; iidem Theſidæ a Theſeo.*
Perſius —— —— *inter pocula quærunt. Romulidæ ſaturi, quid diapoemata narrant.* Satyr. 1.
Virg. *Dardanidæ magni genus alto à ſanguine Divum.* Æn. 5.
Idem. *Æneadaſq; meo nomen de nomine fingo.* Æn. 3.
Ovid. *Phocus in interius ſpatium pulchroſq; receſſus. Cecropidas duxit.* Met. 7.
Virg. *Præmiaq; ingentes pagos, & compita circum Theſide poſuere.* Georg. 2.

## *APPENDIX II.*

MUlta à *Regionibus, Urbibus, Montibus, Fontibus, Fluviis*, aliiſque rebus fiunt, quæ formam quidem patronymicam habent, re autem vera Gentilia ſunt, aut pro poſſeſſivis, adiectivisq; nominibus, ponuntur, ut *Aſis, Libyſtis*, vel *Libyſſis, Italis, Auſonis, Sarmatis, Colchis, Sithonis, Theſſalis, Sicelis, Sidonis, Ilias, Troas, Erymanthis, Mænalis, Pieris, Tritonis, Pegaſis, Phaſis, Phœbas*.

Met. 9. Ovid. —— —— *celeriq: carina.*
*Ægeas metiris aquas, & in Aſide terra,*
*Mœnia conſtituis.*

Lib. 7. Sil. *Ad quem Cymodoce Nympharum maxima natu*
*Italidum.*

Æn. 5. Virg. —— —— *occurrit Aceſtes.*
*Horridus in jaculis, & pelle Libyſtidis urſæ.*

Faſt. 2. Ovid. *Nomen Arionium Siculas impleverat urbes:*
*Captaq;erat lyricis Auſonis ora, ſonis.*

Triſt. 1. Idem. *Sarmatis eſt tellus, quam mea vela petunt.*

In Epiſt. Idem. *Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.*

Æn. 1. Virg. *Interea ad templum non æquæ Palladis ibant.*
*Crinibus Iliades paſſis.*

Met. 13. Ovid. *Troades exclamant: obmutuit ille dolore.*

Triſt. 3. Idem. *Cumque truci Borea Mænalis urſa videt.*

In Epiſt. Idem. *Pegaſis Oenone Phrygiis celeberrima ſilvis.*

Faſt. 2. Idem. *Vectam frenatis per inane draconibus Ægeus*
*Credulus immerita Phaſida fovit ope.*

Lib. 5. Lucan. *Limine terrifico metuens conſiſtere Phœbas.*

## PATRONYMICA MASCULINA
### quo pacto formentur.

### *PRÆCEPTUM I.*

NOmina A, finita aſſumunt Des ſyllabam, ut *Ilia, Iliades.*

As,

As, terminata aſſumunt De, ſyllabam, ante S, ut *Æneas, Æneades, Pheratias, Pheratiades.*
Ovid. *Cumque Pheratiade, & Hyantheo Jolao.* Met. 8.

## EXCEPTIO.

A, Finita aliquando ipſum A, mutant in I, ut *Phyliria, Phyliriades.*

As, terminata interdum I, ante a, aſſumunt, ut *Amyntas, Amyntiades; Philippus, Amyntæ filius.*
Ovid. *Aut ut Amyntiaden, &c.*
Æneides, Julus Æneæ filius, fit à Græco αἰνείας In Ibin.
ſublato a, *Ænejades, Æneides.*
Virg. *Atq; his ardentem dictis affatur Julum:* Æn. 9.

*Sit ſatis Æneide, telis impunè Numanum*
*Oppetiiſſe tuis.*

## PRÆCEPTUM II.

ES, finita mutant Es, in Ades, ut *Hippotes, Hippotades, Æolus Hippotæ filius.*
Ovid. *Clauſerat Hippotades æterno carcere ventos.* Met. 4.

## EXCEPTIO.

HÆc ſæpe I, ante A, admittunt, ut *Anchiſes, Anchiſiades; Laertes, Laertiades.*
Virg. *Æneas, Anchiſiades, & fidus Achates.* Æn. 8.
Ovid. *Saxa moves gemitu, Laertiadæq; precaris.* Met. 13.

## PRÆCEPTUM III.

NOmina ſecundæ declinationis, Us, finita, in Genitivo aſſumunt, Des, ſyllabam, penultima brevi, ut *Æacus, Æaci, Æacides; ſic Priamides, Æolides, Tantalides, à Priamo, Æolo, Tantalo.*
Virg. *Miſenum Æoliden, quo non præſtantior alter.* Æn. 6.

Met. 13. Ovid. *Priamidemq; Helenum rapta cum Pallade captum.*

In Ibin. Idem. *Tantalides tu ſis, tu Tereiq; puer.*

---

*EXCEPTIO I.*

NOnnulla penultimam habent longam, ut *Belides, Lycurgides, Amphiarides.*

Æn. 2. Virg. —— —— *ſi forte tuas pervenit ad aures.*
*Belidæ nomen Palamedis.*

In Ibin. Ovid. *Quiq; Lycurgiden laceravit ab arbore natum.*

Faſt. 2. Idem. *Amphiareides Naupacteo Acheloo*
*Solve neſas, dixit: ſolvit, & ille neſas.*

---

*EXCEPTIO II.*

QUæ à nominibus ſecundæ declinationis fiunt, interdum etiam ante Des ſyllabam, A, litteram recipiunt, maximè quæ in Ius, exeunt, ut *Battus, Battiades, Aſopus, Aſopiades; Menœtus, Menœtiades, Theſtius, Theſtiades, Nauplius, Naupliades;* Hæc in Ius, poſterius, I, Genitivi mutant in A, *Theſtii, Theſtiades.*

In Ibin. Ovid. *Nunc quo Batiades inimicum devovet Ibin.*
*Hoc ego devoveo teq; tuoſq; modo.*

Met. 7. Idem. *Huic Aſopiades petis irrita, dixit, & urbi.*

In Epiſt. Idem. *Sive Menœtiaden falſis cecidiſſe ſub armis.*

Met. 8. Idem. —— *ne titulos intercipe fœmina noſtros.*
*Theſtiadæ clamant.*

Met. 13. Idem. *Sed neq; Naupliades facinus defendere tantùm.*

JApetionades ab *Japeto*, pro *Japetides*, longiùs à norma receſſit.

Met. 4. Ovid. *Hæc hominum cunctis ingenti corpore præſtans.*
*Japetionides Atlas fuit.*

## *PRÆCEPTUM IV.*

GEnitivus nominum in Eus, aſſumit Des, ſyllabam penultima longa: Eî, enim, & I, vocales in I, longum, vel Ei, diphthongum contrahuntur: vel more Græcorū, ut à multis ſcribitur: ut *Atreus, Atrei, Atrides, Atreides,* ſic *Pelides, Alcides, Achilleides, Theſides, Tydides,* & ſexcenta alia.

Ovid. *Convocat Atrides ſocios terrore paventes.* Met. 13.
Virg. *Te precor Alcides cœptis ingentibus adſis.* Æn. 10.
Ovid. *Pyrrhus Achilleides animoſus imagine patris.* In Epiſt.

## *APPENDIX.*

HÆc rariùs A, ante Des, ſyllabam habent.
Virg. *Panthus Otriades arcis, Phœbiq; ſacerdos.* Æn. 2.

## *PRÆCEPTUM V.*

SI nomina ſint tertiæ declinationis, patronymica fiunt à Dativo addita Des ſyllaba, ut *Agenor, Agenoris, Agenori, Agenorides, Cadmus filius Agenoris; Theſtorides, Calchas filius Theſtoris; Actorides, Patroclus nepos Actoris, Æſonides, Jaſon filius Æſonis.*

Ovid. *Donec Agenorides conjectum in guttura ferrum.* Met. 3.
Idem. ——— *at veri providus augur.* Met. 12.
*Theſtorides vincemus ait.*
Idem. *Reppulit Actorides ſub imagine tutus Achillis.* Met. 13.
*Troas ab arſuris; cum defenſore carinis.*
Val. Fl. *Advolat Æſonides mortemq; cadentis acervat.* Lib. 6.

## *EXCEPTIO.*

NOmina As, finita, quorum Genitivus exit in antis, A, litteram ante des ſyllabam petunt, ut *Abas, Abantis, Abanti, Abantiades;* ſic *Atlantiades, Pœantiades, Athamantiades, Dryantiades,* ſic & alia id genus.

Met. 4. Ovid. *Victor Abantiades patrios cum conjuge muros Intrat.*

Met. 8. Idem. *Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.*

EOdem ferè modo formantur, quæ à nominibus in On fiunt, *Telamon, Telamonis, Telamoni, Telamoniades, Amphitryoniades, Laomedontiades.*

*A Scipione* tamen, *non Scipioniades*, ſed *Scipiades*, imminuto verbo naſcitur.

Met. 13. Ov. *Nec Telamoniades etiam nunc biſcere quicquam Audet.*

Æn. 8. Virg. *Intereà cum jam ſtabulis ſaturata moveret. Amphitryoniades armenta.*

Ibidem. Idem. *Laomedontiadem Priamum Salamina petentẽ.*

Geor. 2. Idem.—— *hæc Decios, Marios, magnoſq; Camillos. Scipiades duros bello, & te maxime Cæſar.*

Lib. 7. Sil. *Heu ubi nunc Gracbi; aut ubi ſunt nunc fulmina gentis Scipiade?*

---

## PATRONYMICA FOEMININA unde formentur.

### PRÆCEPTUM I.

PAtronymica fęminina, quæ in As, & Is, exeunt, fiunt à maſculinis, De, ſyllaba ſublata, ut *Theſtiades, Theſtias, Theſtiadis, Aetiades, Aetias; Thaumantiades, Thaumantias; Phaetbontiades, Phaetbontias; Æolides, Æolis, Æolidis; Tantalides, Tantalis; Oebalides, Oebalis; Latoides, Latois; Dardanides, Dardanis, idis; Cecropides, Cecropis; Belides, Belis, idis.* Multa præterea ſunt, quæ paſſim apud Poetas leguntur.

Met. 7. Ovid. —— *rappido vallax Aetias igni. Imponit purum laticem*

Met. 11. Idem. *Talibus Æolidis dictis, lacrymiſq; movetur.*

In Epiſt. Idem. *Aut ego Tantalidæ Tantalis uxor ero.*

Met. 4. Idem. *Aſſiduè repetunt, quas perdunt Belides undas.*

*AP-*

## *APPENDIX II.*

QUædam tum in As, tum in Is, exeunt, ut *Aetias*, & *Aetis*, *Atlantias*, & *Atlantis*.
Val. Flac. —— *nec me Aetis quin audiat opto*. Lib. 7.
Idem. —— *ingens Aetida perculit horror*. Lib. 6.
Virg. *Antè tibi Eoæ Atlantides abſcondantur*. Georg. 1.
Sil. *Vixque Atlantiadum rubefecerat ira ſororum*. Lib. 16.

## *APPENDIX III.*

FOEminina, quæ à maſculinis fiunt, penultima longa in eis deſinunt, ſoluta diphthongo, atque E, brevi, in longum verſo, ut *Æneides*, *Æneis*, *Æneidos* : *Achilleides*, *Achilleis*, *Achilleidos* : *Theſeides*, *Theſeis*, *Theſeidos*,
Ovid. *Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor*. Triſt. 2.
Stat. *Vive precor, nec tu divinam Æneida tenta*. Triſt. 12.
Juven. *Semper ego auditor tantùm? nunquamne reponam?* Satyr. 1.
*Vexatus toties rauci Theſeide Codri?*

## *EXCEPTIO.*

NOnnunquam penultima manet brevis.
Ov. *Res quoq; tanta fuit, quantæ ſubſiſtere ſūmo Æneides vati grande fuiſſet opus*. de Pon. 3.

## *PRÆCEPTUM II.*

NE, finita, à Genitivo fiunt, addita Ne ſyllaba, penultima longa, ut *Neptunus*, *Neptuni*, *Neptunine*, ſic *Adraſtine*, *Nerine*, à Genitivis *Adraſti*, *Nerei*, E, & I, mutatis in i, longum. Quod ſi primigenium I, ante Os, habeat, mutabitur Os, in

One, penultima producta, ut *Acriſios*, *Acriſione*, *Danae*, *Acriſii filia*.

Argon. Cat. *Tene Thetis genuit pulcherrima Neptumnine?*

---

### *APPENDIX.*

A, Mulicbri Acriſione, finxit Ovidius virile Acriſioniades.

Met. 5. *Vertit in hunc harpem madefactam cæde Meduſæ. Acriſioniades, adigitq; in pectus: at ille, &c.*

---

### *DE METAPLASMO.*

PRoprium itidem Poetarum eſt verbis, quibus Oratores utuntur, aliquid interdum addere, vel detrahere: nonnunquam litteras alias aliis permutare: aliquando è proprio loco in alienum transferre; quod quidem cùm in ſoluta oratione vitium ſit, barbariſmuſque nominetur, in carmine tamen non Barbariſmus, ſed Metaplaſmus appellatur; datur enim venia Poetis, quia plerumq; coguntur metro ſervire. Metaplaſmus verò dicitur, quod vetus verborum forma, vel neceſſitate metri, vel ornandi poematis cauſa à Poetis in novam figuram, faciémque ſermonis mutetur.

---

### *PROTESIS.*

LIttera, vel ſyllaba principio dictionis addita, vocatur Protheſis; ut *gnatus* pro *natus*; *tetuliſſem* pro *tuliſſem*.

Andr. Teren. *Eo pacto, & gnati vitam, & conſilium meum Cognoſces.*

Ibid. Idem. *Nam pol, ſi id ſciſſem, nunquam huc tetuliſſem pedem.*

---

### *EPENTHESIS.*

EPentheſis eſt, cum medio dictionis littera, aut ſyllaba interiicitur, ut *relliquias* pro *reliquias*; *Mavors* pro *Mars*; *navita* pro *nauta*.

Lib. 1. Virg. *Troas relliquias Danaum, atq; immitis Achillei.*

Idem.

Idem. *Fecerat, & viridi ſœtam Mavortis in antro* Æn. 8.
*Procubuiſſe lupam.*
Ovid. *Quid tibi cum gladio? dubiam rege navim puppim.* Faſt. 2.

---

## *PARAGOGE,*
### *ſeu proparalepſis.*

PAragoge, ſeu Proparalepſis dicitur, cùm extremæ ſyllabæ aliquid adjungitur, ut *deludier*, pro *deludi*: *admittier*, pro *admitti*.

Terent. *Ubivis faciliùs paſſus ſim, quàm in hac re me deludier.* Andr.

Virg. — — *tum Niſus, & unà* Æn. 9.
*Euryalus confeſtim alacres admittier orant.*

---

## *APHÆRESIS.*

LIttera, vel ſyllaba principio dictionis ſubtracta, Aphæreſis appellatur, *ruo* pro *eruo*, *temno*, pro *contemno*.

Virg. — *dabit ille ruinas.* Æn. 12.
*Arboribus ſtragemq; ſatis, ruet omnia latè.*

---

## *SYNCOPE.*

SYncope litteram, vel ſyllabam è medio dictionis ſubtrahit, ut *gubernaclo* pro *gubernaculo*; *periclis* pro *periculis*; *vixet* pro *vixiſſet*; *extinxem*, pro *extinxiſſem*.

Virg. *Cumq; gubernaclo liquidas projecit in undas,* Æn. 5.
*Præcipitem.*
Idem. —— *hic me pater optime feſſum.* Æn. 1.
*Deſeris, heu tantis nequicquam erepte periclis?*
Idem. *Vixet, cui vitam Deus, aut ſua dextra dediſſet.* Æn. 9.
Idem. —— —— *gnatumq; patremq;* Æn. 4.
*Cum genere extinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.*

*APO-*

### *APOCOPE.*

APocope fini dictionis aliquid detrahit, ut *Tuguri*, pro *tugurii*; *Oti*, pro *otii*.

Eclog. 1. Virg. *Pauperis, & tuguri congeſtum ceſpite culmen.*
Geor. 4. Idem. *Ille Virgilium me tempore dulcis alebat.*
*Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti.*

### *ANTITHESIS.*

ANtitheſis eſt litteræ commutatio, ut *olli*, pro *illi*.

Æn. 5. Virg. *Olli cæruleus ſupra caput adſtitit imber.*

---

### *METATHESIS.*

MEtatheſis eſt litterarum ordo immutatus, ut *Thymbre*, pro *Thymber*.

Æn. 10. Virg. *Nam tibi Thymbre caput Evandrius abſtulit enſis.*
Niſi quis putet Nominandi caſu tum *Thymber*, tum *Thymbrus* dici, ut *Evander*, *Evandrus*.

---

### *APPENDIX.*

SYnalœphe, Epiſynalœphe, Diæreſis, Ecthlipſis, Syſtole, Diaſtole, ſunt etiam Metaplaſmi ſpecies, de quibus ſuprà egimus.

## DE PROSODIA.

GRæci Προσῳδία Latini accentus, tenores, & interdum tonos vocant.

Accentus rector eſt, ac moderator pronuntiationis: eo enim vel attollitur, vel deiicitur vox, vel partim attollitur, partim deiicitur: Unde ipſum, non immeritò, quidam vocis animam appellarunt.

---

### *ACCENTUS TRES.*

TRes ſunt tenores, Acutus, Gravis, Circumflexus. Acuto attollitur ſyllaba, Gravi deprimitur

tur, ut *Populus*, antepenultima acuitur, penultima verò, & ultima deprimuntur, gradatimque deſcendunt.

Acuti nota è ſiniſtra in dextram obliq; aſcendit. Gravis a ſummo in dextram obliquè deſcendit. Accentu circumflexo partim attollitur, partim deiicitur ſyllaba, ut *Romanus*: ejus nota ex acuto, & gravi conſtat: Sonus hodie incertus eſt: ſiquidem Latinæ linguæ hoſpites, veterique pronuntiationis ignari, eodem penitus ſono tum acutas, tum flexas voces efferimus.

Acutus in penultima, vel antepenultima locum habet, Circumflexus in penultima tantùm: Gravis, ubi uterque abeſt.

---

*PRÆCEPTUM I.*

NUllius verbi Latini ultima ſyllaba, auctore Quinctiliano, aut acuitur, aut circumflectitur. Quare *palàm*, *unà*, *aliàs*, & cætera id genus adverbia, prima acuta ſunt pronuncianda. Nec te moveat, quòd ultimæ à typographis gravi accentu notentur; id enim tantùm fit, ut adverbia eſſe intelligas.

Lib. 2. cap. 5. & 12. c. 10.

---

*PRÆCEPTUM II.*

DIctio unius ſyllabæ natura brevis, aut poſitione ſolùm longa, acuitur, ut át, áſt, fáx, dúx.

---

*PRÆCEPTUM III.*

DIctio monoſyllaba natura longa, aut poſitione ſimul, & natura, flectitur, ut Môs, rôs, lûx.

---

*PRÆCEPTUM IV.*

IN diſyllabis prior natura longa, aut poſitione ſimul, & natura, flectitur, dummodo poſterior ſit

brevis,

brevis, ut *Cæcus, audit, æſtus, mæſtus, matris, fratris.* Alioquin acuitur: ut *Æſtas, arma, furor.*

### *PRÆCEPTUM V.*

IN polyſyllabis ſemper obſervanda eſt penultima, quæ flectitur, ſi longa fuerit natura, aut natura ſimul, & poſitione, dummodo ultima ſit brevis, ut *Amicus; affligit, aratrum, palæſtra, anapæſtus.* Alioquin acuitur, ut *Romanos, Victores, Marcellus.*

### *PRÆCEPTUM VI.*

IN polyſyllabis ſemper acuitur antepenultima, ſi penultima ſit brevis, ut *Dominus, Areopagus.*

## *DE PRÆPOSITIONUM TONO.*

Quint. Lib. 4. cap. 5.

PRæpoſitiones ſuis caſibus præpoſitæ uno, eodemque tenore ſimul cum ipſis efferuntur, ac ſi una tantùm eſſet vox, ut *Per forum, ab eo, ad Deum, præter morem, contra fœdus.* Vides, ut præpoſitiones gravi tono pronuntientur.

## DE GRÆCIS VERBIS.

VErba planè Græca, Græco accentu pronuntiantur, ut *παραλειπομένων*, Paralipoménon, penultima acuta. Λιθόςρωτος, Lithóſtrotos acuta antepenultima. κυριε, Kirie, eâdem acuta. ἐλεήσον, eléiſon verbum eſt quatuor ſyllabarum, cujus non ultima, ſed antepenultima acuitur.

## *APPENDIX.*

IN Græca lectione, ſi duæ vocales concurrunt, ne in carmine quidem eliditur prior, niſi in ipſis libris antè extrita per apoſtrophon fuerit. Quare

cùm

cùm Kyrieeleiſon ſeptem ſyllabis conſtet, totidemque vocalibus ſalvis, & integris ſcribatur, nulla prorſus eſt omittenda.

## DE HEBRÆIS VOCIBUS.

QUæ Hebræa omnino ſunt, neque Latinitate donata, Hebræo tono pronuntiantur, ut *Amèn*, *Cherubim*, *Seraphim*, quæ acuta extrema, ut pleraque alia, efferuntur.

### *EXCEPTIO.*

A*Bel*, *Cain*, *Lamech*, *Noe*, *Abigail*, *Baal*, *Eden*, *Ephrata*, *Ephraim*, *Gomor*, *Isboſeth*, *Phaſe*, *Siboleth*, & quæ in *ezer*, *ſedec*, *melec*, *ai*, exeunt, ut *Eliezer*, *Melchiſedech*, *Abimelec*, *Sarai*, *Sinai*, *Abiſai*, penultima acuta pronunciantur.

### *APPENDIX.*

QUæ à Græcis, & Hebræis ad Latinos defecerunt, Latinorum norma metienda ſunt, ut Idolum media flexa, cùm à Græcis antepenultima acuta pronuncietur.

Sara, à Latinis priore acuta effertur quia declinatur ut *Muſa*, cùm ab Hebræis Sara poſterior acuatur. Sed hæc hactenus.

V*Aleri*, *Ovidi*, *Virgili*, *vocandi caſus pronunciabant Romani prima acuta*, *Nigidii*, *atque Ciceronis ætate*; *ſed Aulus Gelius*, *cæteriq; ejus æquales*, *penultimam acuebant. Vide Gellium. Mutatur itaq; accentus ratio progrediente tempore*, *nemoq; miretur*, *ſi hodie Ambroſi*, *Gregori*, *Gervaſi*, *Protaſi eadem penultima longa efferunt Viri pii*, *doctique*. Lib. 13. cap. 24.

*Areopagus penultimam habet brevem: pagus enim*, *hoc eſt*, *collis*, *locuſq; editus*, *unde hoc nomen componitur*, *priorem corripit*, *neque enim ex pagus vocabulo Latino copulatur*, *cujus prior producitur*.

LAUS DEO.

# CALENDE, NONÆ, IDUS,

## C A P. I.

AD Latinorum ſcriptorum Calendas, Nonas, Idus intelligendas, hos verſus ediſce, quibus, quot dies quivis menſis habeat, explicatur.

*Junius, Aprilis, Septemque. Novemque tricenos.*
*Adde unum reliquis: Viginti Februus octo.*
*Quod ſi Biſſextus fuerit, ſuper additur unus.*
*Et tunc bis, Sexto Martis dic ritè Calendas.*

II. Rurſum hos, qui quot Nonæ, Idus, Calendæ, quovis menſe ſint, docent.

*Principio menſis dicis cujuſque Calendis.*
*Majus ſex Nonas, October, Julius, & Mars.*
*Quatuor at reliqui. Dabit Idus quilibet octo.*
*Poſt quas, quot luces, totidem numerato Calendas.*
*Hiſque diem primum menſis ſuperadde ſequentis.*

III. Primo igitur cujuſvis Menſis die, Calendis, dicimus. Mox in menſibus ſex Nonarum Martio, Majo, Julio, Octobri, ſecundo die menſis dicimus, Sexto Nonas, ideſt, ſexto die ante Nonas, eſt enim conciſa loquutio: deinde Quinto, Quarto, Tertio, Pridie Nonas, Nonis. In menſibus reliquis quatuor Nonarum, die ſecundo menſis dicimus. Quarto Nonas mox Tertio, Pridie Nonas, Nonis.

IV. Poſt Nonas in menſibus ſex Nonarum, die Octavo, in reliquis menſibus die ſexto dices, Octavo Idus, ideſt, octavo die ante Idus: mox ſeptimo, ſexto, quinto, quarto, tertio, Pridie Idus, Idibus. Qui dies in ſupradictis quatuor menſibus, quintus decimus dies menſis eſt: in reliquis, tertius decimus.

V. Poſt Idus, quia menſes alii aliis longiores ſunt, in quatuor illis menſibus ſex Nonarum die

ſexto

ſexto decimo, Decimoſeptimo Calendas, ſequentem menſem nominando. Totidem enim dies ſunt uſque ad Calendas inſequentis menſis. Calendis ipſis inter hos computatis, Dehinc, Decimoſexto, Decimoquinto, &c. retrorſum numerando uſque ad Pridie Calendas, qui ſemper eſt ultimus menſis dies. In menſibus verò Januario, Auguſto, Decembri, die quartadecima dices, Decimonono Calendas, ſequentem menſem pronunciando: Mox, Decimooctavo, Decimoſeptimo, &c. retrorſum numerando; in menſibus Aprili, Junio, Septembri, Novembri, die quartadecima dices, Decimooctavo Calendas, ſequentem menſem appellando deinceps, Decimoſeptimo, Decimoſexto, &c. retrorſum numerando.

VI. Denique, menſe Februario, ſive communis ſit annus, ſive Intercalaris, ſemper die quarta decima dices Sextodecimo Calendas Martii, vel Martias, mox Decimoquinto, Decimoquarto, &c. Sed in anno communi ſemel tantùm, nempè vigeſimaquarta die dices, Sexto Calendas Martii. Si verò annus ſit Intercalaris, qui quarto quoque anno recurrit bis, dicimus, ſexto Calendas Martii, ſeu Martias, nempè vigeſimoquarto, & vigeſimoquinto Februarii, duobus diebus in unum computatis, ex quo etiam Intercalaris ille annus Biſſexti nomen obtinuit.

VII. Non dicimus autem Secundo Nonas, Idus, Calendas, ſed Pridie, ideſt, priore die ante, eſt enim Pridie, priore die, Gellius, lib. 10. c. 24. Dicimus quoque Quinto, Quarto; Pridie, &c. Calendas, Nonas, Idus, Januarii ſeu Januarias, Februarii, ſeu Februarias, &c. & Nonis, Idibus, Calendis, Aprilis, vel Aprilibus; Septembri, vel Septembribus, & ſic in reliquis.

## Tabella Calendarum, Nonarum, Iduum.

| | *Jan. Aug. Dec.* | *Mar. Mai. Jul. Oct.* | *Apr. Jun. Sep. Nov.* | *Februar. Inter.* | *Februar. Communi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 | Calend. | Calend. | Calend. | Calend. | Calend. |
| 2 | 4 Non. | 6 Non. | 4 Non. | 4 Non. | 4 Non. |
| 3 | 3 Non. | 5 Non. | 3 Non. | 3 Non. | 3 Non. |
| 4 | Pr. Non. | 4 Non. | Pr. Non. | Pr. Non. | Pr. Non. |
| 5 | Nonis. | 3 Non. | Nonis. | Nonis. | Nonis. |
| 6 | 8 Idus. | Pr. Non. | 8 Idus. | 8 Idus. | 8 Idus. |
| 7 | 7 Idus. | Nonis. | 7 Idus. | 7 Idus. | 7 Idus. |
| 8 | 6 Idus. | 8 Idus. | 6 Idus. | 6 Idus. | 6 Idus. |
| 9 | 5 Idus. | 7 Idus. | 5 Idus. | 5 Idus. | 5 Idus. |
| 10 | 4 Idus. | 6 Idus. | 4 Idus. | 4 Idus. | 4 Idus. |
| 11 | 3 Idus. | 5 Idus. | 3 Idus. | 3 Idus. | 3 Idus. |
| 12 | Pr. Idus. | 4 Idus. | Pr. Idus. | Pr. Idus. | Pr. Idus. |
| 13 | Idibus. | 3 Idus. | Idibus. | Idibus. | Idibus. |
| 14 | 19 Cal. | Pr. Idus. | 18 Cal. | 16 Cal. | 16 Cal. |
| 15 | 18 Cal. | Idibus. | 17 Cal. | 15 Cal. | 15 Cal. |
| 16 | 17 Cal. | 17 Cal. | 16 Cal. | 14 Cal. | 14 Cal. |
| 17 | 16 Cal. | 16 Cal. | 15 Cal. | 13 Cal. | 13 Cal. |
| 18 | 15 Cal. | 15 Cal. | 14 Cal. | 12 Cal. | 12 Cal. |
| 19 | 14 Cal. | 14 Cal. | 13 Cal. | 11 Cal. | 11 Cal. |
| 20 | 13 Cal. | 13 Cal. | 12 Cal. | 10 Cal. | 10 Cal. |
| 21 | 12 Cal. | 12 Cal. | 11 Cal. | 9 Cal. | 9 Cal. |
| 22 | 11 Cal. | 11 Cal. | 10 Cal. | 8 Cal. | 8 Cal. |
| 23 | 10 Cal. | 10 Cal. | 9 Cal. | 7 Cal. | 7 Cal. |
| 24 | 9 Cal. | 9 Cal. | 8 Cal. | 6 Cal. | 6 Cal. |
| 25 | 8 Cal. | 8 Cal. | 7 Cal. | 6 Cal. | Cal. |
| 26 | 7 Cal. | 7 Cal. | 6 Cal. | 5 Cal. | Cal. |
| 27 | 6 Cal. | 6 Cal. | 5 Cal. | 4 Cal. | Cal. |
| 28 | 5 Cal. | 5 Cal. | 4 Cal. | 3 Cal. | Cal. |
| 29 | 4 Cal. | 4 Cal. | 3 Cal. | Pr. Cal. | |
| 30 | 3 Cal. | 3 Cal. | Pr. Cal. | | |
| 31 | Pr. Cal. | Pr. Cal. | | | |

FINIS.

EMMANUELIS

*SUPERIORUM PERMISSU.*